

*H. S. 2*









SERENISSIMI. POTENTISSIMIQUE.  
PRINCIPIS. AC. DOMINI.  
DOMINI.

JOHANNIS. GEORGII. I.  
SAXONIÆ. JULIÆ. CLIVIÆ. AC. MONTIUM.  
DUCIS. SACRI. ROMANI. IMPERII. ARCHIMARE-  
SCHALLI. ET. ELECTORIS. LANDGRAVII. THURINGIÆ. MAR-  
CHIONIS. MISNIÆ. UT. ET. SUPERIORIS. ET. INFERIORIS. LUSATIÆ.  
BURGGRAVII. MAGDENBURGENSIS. COMITIS. DE. MARCA. ET.  
RAVENSBURG. DYNASTÆ. IN.  
RAVENSTEIN. &c.

PRINCIPIS. DUM. VIVERET.  
OPTIMI. MAXIMI.

GLORIOSE. FELICITERQUE.

GESTORUM. MEMORIA.

IN. SUÆ. SERENITATIS. FUNERE.  
NOMINE. COMPLORANTIS. HASSIÆ.


PRIDIE. NONAS. FEBRVARII. M. DC. LVII.

IN. ACADEMIA. GISSENA.

AM. LUCTU. ET. LACHRYMIS.  
Publicâ Oratione celebrata

JOHANN E. TACKIO.

Phil. & Med. D. Med. & Eloq. Professore publico  
& Archiatro Hasso-DARMSTADINO.



GISSÆ.

Typis Chemlinianis. 1657.

SERENISSIMO  
POTENTISSIMOQUE  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
JOHANNI GEORGIO II.  
SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE AC MONTIUM  
DUCI, SACRI ROMANI IMPERII VICARIO, ARCHI-  
MARESCHALLO ET ELECTORI, LANDGRAVIO THURINGIAE,  
MARCHIONI MISNIÆ, UT ET SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIAE,  
BURGGRAVIO MAGDENBURGENSI, COMITI DE MARCA ET  
RAVENSBURG, DYNASTÆ IN  
RAVENSTEIN &c.

PRINCIPI IN INCOMPARABILE  
SAXONIAE DECUS ET SINGULARE  
IMPERII ROMANI SOLATIUM DATO  
FORTUNÆ PERRENNITATEM  
*P R E C A T U R*

Serenitatis suæ

*humilimus Servus*

JOH. TACKIUS, D.

SERENISSIME POTENTISSIMEQUE  
PRINCEPS ELECTOR.



Um SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE  
PRINCIPIS AC DOMINI, DN. JOHANNIS  
GEORGII PRIMI, SAXONIAE, JULIAE,  
CLIVIAE AC MONTIUM DUCIS &c.


PRINCIPIS ELECTORIS, dum viveret omni  
laude dignissimifata, tristissimo nuper nuncio divulgari per Has-  
siam cœperunt, atque Serenissimi Principis ac Domini, Domini  
GEORGII II. Hassiae Landgravii &c. Patriæ nostræ Patris cle-  
mentissimi jussu ego quidem, uti parfuit, merita tanti Principis  
Oratione publica deprædicare debui; Inter mortales neminem in-  
venire potiorem potui, cui tanti Herois memoriam consecrarem,  
nisi Te, ô Princeps Elector Potentissime! Filium utpote primo-  
genitum & Nominis Paterni Electoralisq; dignitatis Heroicarūq;  
virtutum aliarum incomparabilem heredem, Ducem Imperio  
populisq; subjectis exoptatissimum. Fateore quidem, me brevibus  
horis tanti Ducis & Electoris merita enarrare pro dignitate non  
potuisse, cùm non una atas in iis rite depingendis sufficere possit.

)\*( 2

At

At cùm per officii & luctus publici legem mihi tacere non licuerit,  
aliquâ saltem ratione silentii turpitudinem effugere volui. Ac-  
cipe ergo Princeps Elector Serenissime & Potentissime, in  
maximo Saxonia universâ luctu complorantis quoque Hassiae te-  
stimonium! Quæ verò medios inter luctus sibi quām maximè gra-  
tulari visa est, quòd in T E S U C C E S S O R E non amissum videat  
Saxonia Parentem, aut Imperium Electorem, aut tot populi  
Ducem: sed quòd novum quasi Atlantem, cuius jam humeris  
Imperium Romanum, factō Interregno, nititur, experiantur uni-  
versi. Addat Deus robur tanto robori, efficiatque, ut post innu-  
mera domi forisque clarissimè gesta, & Beatissimi Parentis annos,  
& famam mori nesciam piè feliciterq; superes.

ORA-



# ORATIO.

## ACADEMIÆ HUJUS RECTOR MAGNI- FICIENTISSIME, PERILLUSTRIS AC GENEROSISSIME COMES.

MAGNIFICE DOMINE PRO-RECTOR.

Viri admodum Reverendi, Nobilissimi, Consultissimi, Experientissime, Clarissimi, Reverendi, Spectatissimi. Tuque nobilissimorum politissimorumq; Studiosorum corona lectissima!

**D**um hactenus pristinum mortalibus fulgorem astra non adeò præstare visa sunt, & cœli terræq; quædam continua- tis imbribus vastitas, imò deserta omnia oc- currere: nescio equidem, P.C. an horum omnium excogitari alia ratio possit, quàm unius, sed terreni sideris defectus, ad cuius extinctum lumen ipsum quoque cœlum involvi tene- A bris,

bris, & dies nebulosæ noctis peplis contegere caput maluit,  
 quam servatis naturæ legibus tristissimo non condolere fu-  
 neri, aut non etiam lugere Principem, in cuius tamen deside-  
 rio tot millium fatuscit sanguis, nec vanis cogitationibus vi-  
 tam solatio destitutam fastidit. Quis enim ignorat, clarissi-  
 sum Sacri Romani Imperii jubar obscuratum; terræque  
 umbræ inferri cœpisse Serenissimum ac potentissimum  
 Principem ac Dominum, DN. JOHANNEM GEOR-  
 GIUM, SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIAÆ AC MONTIUM  
 DUCEM, SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARE-  
 SCHALLUM ET ELECTOREM, LANDGRAVII THU-  
 RINGIÆ, MARCHIONEM MISNIÆ, SUPERIORISQUE  
 ET INFERIORIS LUSATIÆ, BURGGRAVII MAG-  
 DENBURGENSEM, COMITEM DE MARCA ET RA-  
 VENSBURG, DYNASTAM IN RAVENSTEIN &c.  
 Saxonem, inquam, illam Evangelicæ securitatis columnam:  
 venerandam illam inter omnes sui ævi Principes canitiem:  
 illum fortissimum animo, rerumque gestarum memoriâ ad-  
 mirandum Ducem; qui præter innumeræ alias virtutes pie-  
 tatis & constantiæ erga Deum ostentatione, & in patriam re-  
 ligionem amore nulli mortalium secundus mori non debue-  
 rat, nisi etiam illi fatalem experientur horam, qui nihil in  
 vitâ nisi laude dignum admiseré. Qui tot Principum felici-  
 ssimus tradux, tot Principatum Pater, tot terrarum orna-  
 mentum omne id exsecutus est, quicquid magnarum rerum  
 geri potuit, & omne id complexus, quod salubri consilio  
 domi, foris, ubique, clam, palam, apud omnes obtineri solet:  
 at nunc exantlatis omnibus, quibus destinatus erat labori-  
 bus, vitæque perituræ compagibus solutis non Saxonas  
 modò, sed & Danos & Hassos & Cimbros & Suecos & Asca-  
 nios & Megapolitanos & Germanos universos, imò ipsum  
 Imperatorem totumque sincerioris fidei orbem, verbo,  
 omnia luctu & lachrymis complevit. Ut neque dolorem  
 sustinere valeant reges, neque sibi temperare à ploratu regi-  
     ginæ

ginæ, nullaque illustris familia sit, quæ non aliquod orbitatis, sed frustrà, in planctibus quærat solatium. Nempe, qualia in morte & post eam existere solent Optimorum Principum indicia, ea quoque hâc ipsâ die de Saxonis gloriâ testimoniū perhibebunt ubique gentium certissimum. Menandro Baetrorum rege in castris mortuo, honorificè in civitatibus omnibus parentatum est, cumque vehementer super reliquiis ipsius esset exorta pugna, vix hâc conditione pax stetit, ut singulæ civitates parte æquali cinerum ejus ablatâ, monumentum ei statuerent. Romæ, cùm ad dubiam Germanici valetudinem attonita civitas sequentes operiretur nuncios, & repente jam vesperi incertis auctoribus convaluisse tandem percrebuisset: passim cum luminibus & victimis in Capitolium concursum est, ac penè revulsæ templi fores, ne quid gestientes vota moraretur, auditæque gratulantium & concinuentium voces: Salva Roma: Salva patria: Salvus est Germanicus. Sed ut demum fato functum palam factum est, non solatiis ullis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit: quin potius, quo defunctus est die, lapidata sunt templa, subversæ Deûm aræ, lares à quibusdam familiares in publicum abjecti & partus conjugum expositi: imò & Barbaros ferunt, quibus intestinum, quibusque adversus Romanos bellum erat, velut in domestico, communiq[ue] mœrore consensisse ad inducias, regulos quosdam barbam posuisse, & uxorum capita rasissime ad indicium maximi luctus. Regum etiam regem & exercitatione venandi & convictu Megistanum abstinuisse, quod apud Parthos justitii instar habebatur. Nisi me fallit justus omnium dolor, post ultro citroque cumulata pro Electore Sene vota, quæ nuper ad Albim ad stuporem exaudita sunt: Salvus sit Elector: Salvus sit Senex ille patriæ nostræ pater: Salvus sit JOHANNES GEORGIUSTOT Principum stirps & avus! ubi funeris fama magnorum & parvulorum, senum & juvenum, amicorum pariter ac inimicorum aures fatigare cœpit; quæ non

suspiria, quæ non confusio deprehensa? Neque enim, dum Patriæ nostræ Pater Serenissimus Princeps ac Dominus, DN. GEORGIUS, HASSIÆ LANDGRAVIUS, &c. ob Serenissimam conjugem Electore genitam in communis doloris societatem adductus, toti Hassiæ planctum imperavit, atque è vestrūm numero P. Conscripti! me ad hoc officium delegavit, ut tanto Principe dignas laudes publicâ oratione in parentationis officium digererem, hâc ipsâ in primis die, quâ regium verè funus effertur, & cum Dresdâ tot Reges & Principes, totq; Ducum & Principum filii, conjuges, nepotes, neptes, pullum sumfere habitum, mihi persuadere aliter possum, idem justitii genus in aliis quoque Academiis & civitatibus exsolvi, ne ignorari unquam desiderium defuncti queat, atque tot erecta de hostibus trophyæ, tot insignes victoriæ, tot inviolabilium meritorum monumenta circa doloris castrum splendentia posteritati eripiantur. Ut enim fortunatos Principes nefas est secutrorum temporum taciturnitate premi, etsi quod magnâ vi & valido robo-read miraculum ab ipsis patratum est, unius aut alterius ætatis spacium vix percurrere soleat, nisi scribentium pennis à mortalitate vindicetur: ita dum sacer ejusmodi labor ab Academiis expectari cœpit, vix unquam lethum bene actorum invenietur, aut immortalitate bonus carebit Princeps. Non tanquam facile sit, unumquenq; divinitati consecrare, aut arbitarium penes literarum Professores, pro lubitu sanctire æternitatis statuam: sed quod hi inveniant laudum materiam, & illi eam abundantissimè suppeditent. Qui enim tam luculentam Germani orbis stellam satis à me laudari posse existimat, næ ille tenuitatem ingenii mei nondum exploratam habet, & qui à quoquam alio, etiam disertissimo tantum fastigium repræsentari posse arbitratur, næ ille virtutum ejus magnitudinem nondum perspectam habet; quæ enim de ipso commeniorari possunt, tanta sunt, ut subsidere, imò deficere sub onere vel præstantissimus cogatur. Sed ut quâ

quâ fortunâ optimus quisq; Principum dignus sit, ostendam,  
 si vel maximè in eorum meritis depingendis omnis mortali-  
 um industria deficiat, atq; sub humili obsequio non tam Prin-  
 cipem Electorem , quâm ejus umbram vestris oculis inge-  
 ram, ex quâ de ipso corpore, quod lingua mea exprimere  
 non valet, judicare queatis. Nos verò etiam æquitati lita-  
 bimus, si maximî Herois fata tristi silentio venerabimur , &  
 jussus Serenissimi Principis nostri, spero, fines ego attigero,  
 si quæ hodiernus dies ad funebris pompæ majestatem postu-  
 lat, pro viribus saltem & ex parte dixero, ratus, neque semper  
 Deo dignis muneribus olim supplicatum fuisse, cùm truges  
 quoque obtulerint, qui caruere victimis, & mola salsa com-  
 precatum , ubi defuere thura... Imò lachrymas potiores  
 fore , quâm fictis ad præconia verbis omnia assequi ea vel-  
 le, quæ ex cœlo præcipue pendent, atque ingenii humanis  
 magnam partem superiora illam iterum repetunt patriam ,  
 unde primitus hausta fuere. Ut proinde atri alicujus novi  
 conspectu docta gentilitas Herois alicujus animam cœlo  
 stelligero collocatam crediderit ; quamvis meliora edocet ,  
 etiam supra stellati orbis circulos nostri præcipuum , quod  
 est mens immortalis, indelebilem futuræ felicitatis charac-  
 tem sibi insculptum retinens , evectum iri sciamus. Sed  
 unde meritorum tuorum annales, ô Elector maximè ! exor-  
 diar ; ad te enim conversâ oratione, si per beatissimos manes  
 tuos licet, loquar ; aut quibus interiora animi tui & ad satie-  
 tam & populi plausum , imò , dum omnium voces te in-  
 clamant, uberiorem verius planetum deprædicabo ? Quo-  
 quò versum enim meos circumfero oculos , instare mihi vi-  
 deo tot numina , quorum quodlibet primo loco strui sibi  
 aram postulat. Urget nempe hinc nigris involuta vestibûs  
 Religio : Illinc Herculea olim , at nunc demissis laffata ma-  
 nibus fortitudo. Illa velut deserta abjectis post terra capillis  
 compita & tempa diris implet gemitibus : hæc ad funden-  
 dos hostes clavam , imò qui intrepide eam torqueret in hy-  
 dram,

dram, ademptum sibi queritur. Quidq; tuarum vestigia virtutum, per loca cæteroquin invia, mihi insectanda sint: neq; laurus solum, sed oliva quoque tam sacrum toties circumsteterint caput, justitiâ & misericordiâ, harumq; omnium moderatrice prudentiâ mixtum. Quorum catalogum cum seculum vix absolvere possit, hæreo sanè initio, nec quid primo, quidve secundo loco dicere expediat, occurrit. Dispensio itaque voluntatis meæ faciendum mihi compendium est, ut saltem attingam maxima, dum ad mediocria mihi non sufficit ullum temporis spacium. Et quod amplissimas urbes ingressi observare curiosè solemus, ut ad splendorem extructa templa primùm videamus, tum fora, gymnasia & porticus extrinsecus protentas miremur: ita & ego in enumerandis laudibus tuis intima prius virtutum tuarum penetralia veneratus gradum ad gesta tua proferam, quæ in orbis theatro non privatim, sed publicè prostant: non parietibus, sed finibus universi clauduntur: non tecto sed cœlo operiuntur.

**E**A est multorum mortalium arrogantia, ut avidi gloriæ magis, quam capaces, humanæ fortis oblitis se credi velint non hominibus, sed Diis immortalibus ortos, hoc ipso nec superis, quibus se exæquant, nec hominibus, quibus se eximunt, tolerabiles, quippe paulò post fortunæ novercantis ludibria experti, cum sanguine effuso spiritu documentum posteris relinquent insolentiæ, nihilque participasse de humore,

Qui superum manat de corpore Divum.

Namque & Alexandrum vulnera, venena, mors, suæ fortis admonuere, Hammonis etsi se filium jactaret, atque pro Deo colivellat, imò ipsum Philippo

Restituit Babylon, demonstravitque putatum.

Ammonis falsâ Jovis ortum semine fama.

Non ita ego laudes tuas incipiam ô Elector! neque quam

quam tibi affingam, quod non tuum sit. Quamvis enim Dei genus appellamur, atque de divinâ animæ conditione nemo dubitat; homines tamen sumus, & principio ortus statim de occasu nostri edocemur. Major verò Tibi accedet majestas, si honiinibus quidem tua debeas exordia; at ætatis progressu demonstrâris, non humili quidem te toro natum, sed heroum de sanguine pullulâsse, cæterorumque tui æqualium non adæquâsse sed superâsse ingenia. Quoties antecessores atque progenitores tuos cogito, quorum series per multa retro secula variâ ingeniiorum se commendavit mixturâ; toties occurrit stupenda incomparabilium Principum messis, ut nec in iis desiderari possit animosus Romulus, nec religiosus Numa, aut victoriosus Tullus, aut ædificator Añcus, neq; amplificator Priscus vel censor Servius. Quis enim ignorat invictum bello Mauritum: pietate & pace clarum Augustum: tot ædificiorum splendissimorum Architectum Christianum primum; & tutissimum illud exulum asylum, imò triumphatorem reparatæ religionis Christianum secundum, de quorum gestis omnium annales loqvuntur, quorumque invicta pietate & fortitudine pectora ipsa suis auspiciis fortuna semper nobilitavit, ut neque potentissimorum Imperatorum arma, neque ferociissimorum hostium impetus resistere potuerint, quo minùs erectis undiquaque victoriæ trophæis securum tandem Religioni extruerent habitaculum, paceque non minùs, quam alii fruerentur, qui in profano & à se ficto superum cultu pacem conscientiarum suarum sitam rati nulli sævitiæ parcebant, ut exilium viderent, qui pacis sectabantur unicum autorem. Cæterum uti hæc latè persequi possem atque ingens de majorum tuorum virtutibus volumen iniplere; nolo tamen illis adeò immorari, ne gloria tua alienæ potius famæ ornamentis, quam propriis crevisse videatur. Inanem enim ac vanam semper reputo eam laudationem, quæ à Natalium magnitudine sua mutuatur argumenta, utpote quibus non magis ad

summam aviti fulgoris iter patet, quām si quis aliunde petitis  
 vestibus ineptè circumspiciat. Tu nempe non alienæ in-  
 digus laudis, profligatâ ambitione fabulosâ, parentibus con-  
 tentus, quos natura dederat, propriis ornatibus redundâsti,  
 ut & maiores tuos & universum orbem illustrâsse cōperia-  
 ris, atque ipsi tui antecessores, si viverent, intra præcipua ma-  
 ximarum familiarum nomina Te recenserent, gloriarentur  
 que merito, quòd Tu præstantissimum germen de suâ stirpe  
 non Regum, non Imperatorum destitutum gloriâ defluxe-  
 ris, atque peritûræ posteritatis spei omhem ademeris hosti-  
 bus. A Wittekindo enim Magno, è cuius posteritate duo  
 Henrici & tres Ottones Romani Imperatores, ipseq; Gre-  
 gorius V. Pontifex à nonnullis deditucuntur, retroque porrò  
 promotis ad Artarium usque, qui anno ante Christum sexa-  
 gesimo inclausse fertur, vestigiis, genealogiæ tuæ splendor  
 exit, eademque per Te novo quasi exordio in posteris conti-  
 nuabitur ad mundi usque terminum, indicio ex fœcunditate  
 tua hæusto, rupturam neque passura, neque excidium. Ergò  
 ut primùm in lucem Te edidit pia felixque genitrix Domina  
 Sophia, Domini Johannis Georgii, Marchionis & Electoris  
 Brandenburgici, à quo & nominis habuisti tui amplitudi-  
 nem, filia, atque Dresdensi in arce, anno supra millesimum  
 quingentesimum octuagesimo quinto, tertio nonas Martii,  
 post decimam noctis horam, rerum verò potito Rüolpho  
 II. prima vitæ hausisti rudimenta, conjurâsse in tuam felici-  
 tam visa sunt sidera, ut præter communem ac supremum  
 omnium rerum parentem, quem regenerationis mysterio  
 paulò post adoptabas Tibi, omnia faverent spemque conci-  
 perent haud pauci, Te senio aliquando omnes superaturum,  
 prosperisque rerum eventibus mundum nobilitaturum.  
 Nam ut de Te prius, quām de factis tuis dicam, eluxit primis  
 statim sub annis ex Te magnanimitas Christiani I. parentis:  
 justitia & pietas Augusti avi: Constantia Henrici proavi:  
 intemerata audacia Alberti abavi: animositas & prudentia:

Frides

Friderici placidi Atavi : & Tritavi Friderici bellicosi fideli-  
tas, omnium Saxoniæ Ducum è paterna deductorum stirpe.  
Imò, nam de cæteris quoque stemmatis tui luminibus, sed  
pauca saltem memorabo, dum aviam habuisti paternam  
Christiani III. Danorum, Norvegiorum, Vandalorum &  
Gothorum Regis filiam Annam : Avum verò maternum  
Johannem Georgium, Marchionem & Electorem Branden-  
burgicum, Principem laudatissimum, & Aviam maternam  
Sabinam Marchionissam Onolsbacensem, Electricem Bran-  
denburgicam. Proaviam deinde paternam Catharinam,  
Magni, Ducis Megapolitani filiam : Proavum verò mater-  
num Joachimum II. Marchionem Brandenburgicum &  
Electorem ingentis claritudinis, & qui expeditione contra  
Turcam Generalis exercitus Dux, Borussiæ Ducatum obti-  
nuit; & Proaviam maternam, Magdalenam Saxonię Ducem,  
Electricem Brandenburgicam. Porroque Abaviam pater-  
nam, Sidoniam Georgii Bohemorum Regis filiam: Abavum  
verò maternum Joachimum I. Electorem Brandenburgi-  
cum Academiæ Francofurtensis ad Viadrum fundatorem,  
Germaniæ Nestorem dictum ; & Abaviam maternam Elisa-  
betham, ex regiâ Danorum stirpe prognatam, Electricem  
Brandenburgicam. Iterum Ataviam paternam Margare-  
tam Ernesti Pannoniæ Ducis filiam, Fridericique II. Austria-  
ci & Imperatoris sororem, unde ex Austriacâ quoque domo  
& à Rudolpho I. generis tui amplitudinem & majestatem  
deducere posses. Atavum verò maternum Johannem III.  
Magnum ob res gestas, & ob eloquentiam Germaniæ Cice-  
ronem appellatum, Electorem Brandenburgicum ; & Ata-  
viam maternam Margaretam Guilhelmi II. Saxoniæ Ducis  
filiam, Electricem Brandenburgicam. Tritaviam denique,  
nam ut ulterius progrediar, tempus vix admittit, paternam,  
Catharinam Henrici Ducis Brunsvicensis filiam: Tritavum  
verò maternum Albertum Electorem Brandenburgicum  
Achillem cognominatum ; & Tritaviam maternæ prosapiæ

C

Marga-

Margaretam Marchionissam Badensem. Dum, inquam,  
 tantorum majorum sanguis extitisti, inscriptaque tot maxi-  
 morum Imperatorum, Regum, Ducum, Principumque no-  
 mina gessisti, quanta de Te spes facta! Nimirum, si magnæ  
 Herōum animæ naturæ ætheriæ compotes sunt, & suâ subli-  
 mitate, motusq; perpetuate cœlestia spirant & exprimunt;  
 haud aliter se res habebit, quam mentem Tibi à primo ortu  
 contigisse magna meditaturam, nunquam otiosam, semper  
 ad Dei gloriam, patriæque emolumentum erectam, & capa-  
 citate suâ universum bene moderandæ Reipublicæ modum  
 absorbentem, rutamque, gentile Saxonie Ducum insigne  
 imitaturam, quæ neque solis æstibus, neque hyemis frigori-  
 bus quicquam de virore suo remittit, sed omnes aëris cludit  
 injrias. Surrexisti ergò velut æternantis prosapiæ surcu-  
 lus, & mediis licet pueritiæ annis charissimo parente orba-  
 tus, sub tutelâ, providâque Friderici Guilhelmi Saxonie Du-  
 cis curâ, domi forisque sedulus mentem Tibi formâsti in  
 omnes casus præsentem: corpus verò optimâ temperaturâ  
 conspicuum, patiens algoris, vigiliarum, laborum, supra  
 quam cuiquam credibile, reddidisti, ut neque in negotio ar-  
 duo consilium, neque in expediendis rebus corporis deesset  
 auxilium. Excessisti enim, patriâ imbutus religione, sed  
 cum fœnore redditurus ad majorum tuorum exempla, Saxonâ:  
 & ubi peregrinorum morum, exterorumque hominum  
 studia Te traxere, varias lustrâsti regiones, paucisque sed se-  
 lectis comitibus Thuringiam, Franconiam, Würtenbergen-  
 sem Ducatum, Sueviam, Bavariam & Tyrolensium superâsti  
 alpes. Dehinc Venetas adiisti, visisque agris Paduanis,  
 Florentiæque pulchritudine, & superbâ Neapoleos gloriâ  
 cum cæteris Italiæ celebrioribus urbibus Veronâ, Mantuâ,  
 Mileto, celeberrimoque & opulentissimo Sabaudiæ Duca-  
 tu, Romanas cum primis spectâsti arces, olim Mundi caput,  
 at nunc ingentium animorum decipulam, è quâ tamen, Dei  
 gratiâ, nihil quicquam à pietate tuâ immutatus ad capessen-  
 da.

da virtutum tuarum ornamenta domum rediisti, alio longè exemplo abiis, qui ad peregrinas gentes delati, statim, quod cum materno lacte bonum hausére, pravorum persuasionibus corrumpunt, atq; religionem mutant seu mundi splendoribus excæcati, seu intauistæ pietatis titulis veram pietatem fallentes. Nunquam scilicet his deficit meliorum sacerorum prætextus, nunquam antiquitatis excusatio, nunquam Ecclesiæ catholicæ, quæ utinam potius candoris & simplicitatis, quam fraudis & perfidiæ esset sacramentum, titulus. Sed uti nullâ re citius mortalibus imponunt mortales, quam cultu ficto Numinis : ita quam maximè laudem obtinent, qui animum adversus omnes illecebras & grandioris fortunæ irritamenta, post tot visas regiones, tot lustratas gentes, tot peragrata imperia, post tot superata impedimenta intaminatum referunt genium, & à tectâ impietate semotum. Unde dum ex ejusmodi Principum apostasiâ totæ sæpius provinciæ & regiones inexplicabili implicantur damno, neque eorum reditu aliter afficiuntur, quam si Hannibal ante portas esset; tu tamen omnium popularium mentes ingenti perfudisti gaudio, tantoq; præsentius sensisti numen, quantò gravioribus periculis defunctus es. Quemadmodum enim ii, quorum in columitate subnituntur familiarum illustrium decora majoribus deprehenduntur exponi discriminibus, ut iisdem potenti Superum manu erepti tantò clariora posteris de se promittant indicia : Ita ad Ferraram primò nautæ imperitâ in lacunam trium milliarium actus non sine maximis vitæ difficultatibus Te extricâsti. Haud procul dein Venetas iustum lapidis vitæ insidiatorem evitâsti : & equestri iterum exercitio intentus Veronæ, præcipitem estrænis equi licentiam superâsti : pauloque post prædonum sceleri & nefariæ latronum audaciæ oblatus, opibus omnibus in prædam direptis vixdum evasisti. Mediolani postremò vehementi corruptus morbo, atque Medicorum consiliis ob confessoriæ defectum chartæ, destitutus, jam

hospitis in hospitalitate in nosocomium relegandus, Dei curam sic quidem expertus es, ut Medicis non solum ex Augustâ Vindelicorum & Lindaviâ accersitis ægritudinis levamen haberet: sed & conditionis tuæ difficultate Sabaudiæ Duci exploratâ, atque ad eundem tot humanissimis verbis affectus viginti quater mille exæquantia imperiales pretiam munerum loco reportares. Ipseque tandem sedis Romanæ Præsul Clemens VIII. oblatis insignibus præmiis Romam Terevocaret, sed ob nondum domitam morbi vim omnem, frustrâ. Quæ etiam causa extitit, quominus Gallias, Angliam & Belgas adires. Sed ne sic quidem infestæ Tibi fortunæ machinationes pepercere. Patriæ enim redditus, Alisque vectus eo tempore, quo devotæ pietatis Mater templum Sophiæ precibus festoque solemini dedicabat, nescio, quâ custodis imprudentiâ tubulus igneus ignem concepit, eoque ad tormentarium pulverem propagato, Christianum quidem Secundum haud parùm læsit: Te verò in Albis fluenta egit, ut nisi cœlestium vigilum tutela obstitisset, levi negotio universa Saxonum ex Alberto deducta prosapia, dum Augustus tertius quoque frater iisdem fermè diebus Wittenbergæ periclitabatur, periisset. Sed salvus fuisti, ô magna Dei cura, JOHAN-GEORG! pauloque post auctus præsulatu Martisburgensi, & à morte Christiani fratris Electoratu, duplique rursus Episcopatu, Misnico & Numburgensi, tuo ex vigore spem felicioris posteritatis, quæ uno in Te jam stabant, universæ fecisti Saxoniæ. Neque voto defuit successus. Siquidem Serenissimæ Priticipis ac Dominæ, Dominæ Magdalena Sibyllæ, Alberti Marchionis & Ducis Borussiæ filiæ, tum virginis, sed post defunctam sine liberis Sibyllam Elisabetham Ducem Würtembergicam primam, sed nondum biennium ex virgine conjugem, in societatem secunditorum junctæ, matronæ, quâ pietatis, quâ virtutum omnium curam incomparabilis fœcunditate quatergeminæ Tibi spes atque oculi Republicæ nati sunt. Nominis nempe tui & famæ

famæ æmulus Johannes Georgius Electoralis ensis hæres & arbiter. Augustus deinde Archipræsul. Post hunc Christianus & denique Mauritius Principes & Duces pietate, prudenter, animositate & humanitate admirandi, quorum virtutibus non aliter Saxonia conservatur & regitur, quam mundus olim & nunc quatuor illis flaminibus è voluptatis horto irrigari debuit. Neque tamen solo filiorum numero tori tui felicitas terminari potuit. Emicuit inter terrestres Deas filia primogenita Sophia Eleonora, Hessorum gloria, & post hanc Maria Elisabetha Cimbrorum delitiæ, & denique illa Danorum olim spes, nunc Altenburgensium amor, Magdalena Sibylla, quarum fæcunditate, quantus Tibi existere cœpit nepotum felicissimorū numerus? Dicam aliquid, quod legat posteritas & cum stupore audiant, qui ex multitudine prolis vitæ jucunditatem & felicitatem metiuntur, forte prioribus seculis inter magnates non observatum, neque futuri temporibus, nisi cum ingenti admiratione, inter rarissima tamen notandum: Octoginta nempe & unum Te generis Tui surculos & propagines vel vidisse vel famâ accepisse. Quod quantum sit beneficium & non nisi cœlo profectum, vel inde existimare quisque potest, quod inter oracula divina hoc ipsum viri vestigium sit beati. Tu nempe arbor illa fuisti, quæ ad aquarum radicata fluenta ubertate gaudet fructuum, neque foliorum videt casum. Tua vitis instar conjunx, quæ in annos singulos explicuit ramos suos, atque uvarum proventu grava tot regnis & principatibus ornamenta & dona distribuit, unde alia imperia & nationes umbram sibi porrò polliceri possunt, ad exemplum Caroli Magni, à quo universi Imperii Europæi Principes prosapia manducere sibi in delitiis habent, atque eo ipso vel unicum Carolum tot regnum & principatum patrem agnoscunt, quamvis felicitate Carolo major fueris, meo quidem judicio, quod hic post mortem demum in successoribus habuerit suæ fœcunditatis notas & multiplicata nomina: Tu adhuc

D

vivens

vivens Regum & Principum familias auxeris. Quæ verò ingenti jam Te desiderant planctu, & profusissimis ex pietate lachrymis suum sibi Patrem, Avum & Proavum ereptum conqueruntur. Imò tam succulentam sibi radicem emarcuisse, & solem obtenebratum. Scilicet, uti omnis stelligeri cœli exercitus suâ quidem sed exiguâ gaudet luce, nisi à Sole mutuò accipiat universalis luminis feudum : & velut ad horas saltem aliquot testo sole montes fumant & maria, terræque & paludes omnes temerè & sine lege surgunt, tenebrosissimi instar Chai ad aëra, atque inani occupato omnijam jam spiritum coarctarent mortalium, nisi Sol laboribus suis exsolutus sinu obliquo anguis in morem, in se volutas umbras horrendas strepituque frementes premeret. Quâ necessitate conspectâ, sanè Philosophi præstantissimi haud obscurè deprehenderunt, Solis extinctis ignibus non alium statum inter mortales expectandum creaturas, quâm mundi nondum conceptis cœlestis caloris foculis vacui, primigeniâve destituti luce, unde deinceps voluntate lucis æternæ & ineffabilis in tam absolutum & pulcherimum, unde & appellatur, opus surrexit, quando confusa & nondum distincta elementa, atque inde producta deinceps rerum semina tumultuariè per noctis immensæ abyssum volverentur, & frigida pugnarent calidis, humentia siccis: mollia cum duris, sine pondere habentia pondus. Ita te occidente caput tuum, ô Elector Serenissime ! quantum non excitatur Chaos, quantæ non sublimantur tenebræ, quæ non obfuscantur stellæ ? quot non lugent Joves sapientissimi : Martes fortissimi : Veneres, sed cum stupendâ formâ pudicissimæ. Dianæ jaculatrices studiosissimæ & castissimæ ; omnes Herões & Heroinæ , sanguis tuus & luminis tui Vasalli ? qui dum altiorum spirituum & animorum excellentia nihil leve admittunt, humili serpere nescii, neque ullis vitæ aut fortunæ asperioris includi se patiuntur terminis, plurimum Tibi decies Genitori, id est septem filiorum, filiarumq;

anovit

Prin-

Principum trium Patri ; viginti dein nepotum & triginta  
 uniusq; neptum Avo ; tredecim porrò Pronepotum & Pro-  
 neptum septem Proavo debent : Non aliter, quām aurum sui  
 splendoris & eminentiæ genealogiam non ex liventi facileq;  
 liquabili plumbo , aut aspero , rubiginiq; obnoxio ferro , in-  
 feriorisve notæ metallo alio dederit : sed purissimam ele-  
 mentorum materiam , in quâ radiantes solis lunæque vires  
 abundantissimè cumulatæ , in tam speciosam pretioq; omni  
 superiorem massam coactæ sunt , progenitores agnoscit.  
 Nempe, uti tam pulcherrimæ, numerosæque prolixi fœlix pro-  
 ventus insigne benedictionis divinæ , atque eximiæ corporis  
 tui temperataræ indicium extitit : ita anima tua non minùs  
 jugi se vegetavit prudentia , neque ignobiliores illis edidit  
 fœtus. Dum enim corpori tuo Natura terminos quidem  
 posuit, intra quos, ultrà progredi verita, subsisteret, & viribus  
 vitæque metas ; ausibus tamen tuis & solertiæ ad exprimen-  
 dum omne , quicquid ingenium assequi potest ad virtutes fa-  
 ctum fines constituere nullos potuit. Crevit nativa indo-  
 les tua : haustisque Sapientum præceptis, quibus insiti nobis  
 ignes velut attritu ad chalybem , statim quaquaversum spar-  
 sis se exerunt scintillis , hoc assecutus fuisti , ut pòst varios la-  
 bores, Christianoq; Fratri exhibita pro salute Saxonie offi-  
 cia , circumductus jam Electorali purpurâ plenus sapientiæ  
 pietatis & justitiæ antistes es. Vultus enim tui majestate  
 omnium oculos perstrinxisti, & oris humanitate subditorum  
 animos devinxisti tibi , ut illâ quidem tui venerationem , hâc  
 verò amorem tui conciliares Te intuentibus. Prudentiâ in-  
 signi rerum ardua tetigisti & superâsti. Vigiliis laboribusque  
 nullis pepercisti , & dum cæteri mortales in otio felicitatem  
 aliquam, aut corpori saltem aliquando medicinam quærunt;  
 Tu tamen, invictæ laboribus Princeps ! in continuâ agitatio-  
 ne Tibi constituesti requiem, quòd existimares, remissionem  
 quamcunque declinantis virtutis esse initium , & levioribus  
 saltem curis posthabitum detrimentum Reipublice accelerari

posse, imitatus nunquam otiosi solis industriam, qui moræ  
 impatiens neque in ortu tarda auspicatur vestigia, neq; cùm  
 ad verticem per ventum est, consistit, neque in occasu deficit:  
 Sed incredibili velocitate utrumque repetit semper hæmi-  
 sphærium, ne desit mortalibus vitæ lucisque solatium. Nam  
 & Tu continuatis imperii negotiis & in se quodam orbe re-  
 deuntibus semper exerceri voluisti, ut gesta gestis, merita  
 meritis, victorias cumulares victoriis. Inter cætera verò quæ  
 deinceps longus adornabit catalogus, inconcusâ animi  
 constantiâ & pietate avitam cœloque deductam religionem  
 sic amâsti, propagâsti, tutatus es, ut neque persecutorum  
 atrocitas, neque indignantium magnitudo, aut impugnan-  
 tium numerus, aut ullus Cacodæmonis astus, profligatâ sce-  
 lerorum quorumvis vesaniâ, subdolisque eversis artibus  
 expugnare eam potuerint, ô Magne veritatis Protector, &  
 cœli militantis Atlas! Crevit enim sanguine fundata olim  
 Ecclesia, & tuo auxilio succrevit stupendo numero rectè cre-  
 dentium cætus inter luctus licet & lachrymas. Et dum pa-  
 triæ suæ in finibus vel minùs securi, vel vi inde ejecti plurimi  
 seu trepidarent, seu exules errarent, ex tuâ tamè in Deum  
 pietate fiducia illis melioris ævi accessit, imò vulgatâ in per-  
 viores pupillâ ipse omnium pupilla fidelium nunquam la-  
 befactata constitisti, ut non semel sed tertjâ vice inter since-  
 rioris fidei populos triumphatum sit & cœlo vis quasi illata.  
 Ut enim taceam perpetua, quæ de hostibus suis trophæa in-  
 dies erigit tortissimus exercitus sui Dux & auctor Michaël,  
 memoriæ jam subit meæ, & loquuntur id annales, primum  
 Te seculare jubilæum celebrâsse, atque post fractas olim Ro-  
 mani Pontificis Leonis X. vires, enervatasque cum cætera  
 malorum dogmatum cohorte indulgentiarum nundinatio-  
 nes, stabilitam denique à centum annis per Lutherum, ma-  
 gnum illum Evangelii præconem JESU CHRISTI doctri-  
 nam, in illius temporis memoriam triumphum egisse, divisâ-  
 que in populum magnâ auri argenteaque noviter signati vi ad  
 sui

sui exemplum omnes Augustanæ Confessionis Professores traxisse, splendidiori sanè & augustiori pompâ, quām devictis hostibus Romani, quorum in sellâ curuli victores, actis ante se domitis regibus, spolia in Jovis Feretrii aut Martis, alteriusve Deastri templo dedicabant, magnumque reputabant, Capitolum hostium trophæis exornâsse. Majores fuere triumphi tui, majora jubila, quo majores habuit Ecclesia hostes, quorum numerum dum infernus non capit, quis super terræ orbitâ computo eos includet. Concursum est ergò undique, coronæ textæ, insonuere rostra sacra, declamatum est è pulpitis, & parta à majoribus veritas post exatrum seculum secura adhuc, post majorum tuorum memoriām Dei in primis in somni providentiæ: prudentiæ deinde tuæ salutem suam ac sociorum debuit, qui eadem pietate, quā Deum sincere coluisti, impietatem omnem profligasti, & tyrannidem profano sacrorum velo amictam amicorum cervicibus depulisti. Quanta illa erat festivitas, quantumque gaudium, quo Deo Sospitatori & Servatori unico humilimæ persolvebantur gratiæ, quo hymno Ambrosiano, omnes Saxonie Ecclesiæ, omnia Hassorum oppida, omnia cæterorum regnorū & ducatum templa inter mille cantantium & mixtis variegatisque sonis, sed non sine lachrymis modulari voces personabant, & jubilus terris contineri nescius cœlorum concameratas penetrabat provincias; coram vero illius solio terglorioso & tremendo substitit, ante cujus pedes projectis coronis suis quatuor animalia illa apocalypticæ & viginti quatuor Presbyteri inter ingenitum numeroque haud comprehensibilem Angelorum turbam tergeminam sanctitatis gloriam cum hymno immortalitatis & æternitatis incessanter Deo & victori agno decantarunt, atque adhuc pro incolmitate sociorum suorum supplicant. Sed parùm fuit inchoatæ stragis Pontificiæ memoriam seculari festo celebrâsse, nisi & varia pacis bellique agitares consilia, quibus tam sacrum tuereris depositum.

E

Uti

Uti enim post triumphos pacis s<sup>e</sup>pe nascuntur bellorum in-  
commoda , & amoto unius excidii metu alii subinde rena-  
scuntur terrores : Ita per vices quoque religio tentari , pax  
turbari, conscientiarum tranquillitas inquietari, & nihil non  
excogitari c<sup>a</sup>pit, quo res secundae insidias experientur. Ut  
ergo universo orbi pateat , qu<sup>a</sup>m inextricabili malorum la-  
byrintho tentatas imperii Romani res explicare tentaveris,  
pro aris deinde & focis , pro Deo & patriæ libertate pugnâ-  
ris , atque postremò ad usque pacis tempora salva rectaque  
omnia, eo, quo nunc stant, libramine perduxeris, discrimina  
ex sacrorum cultu orta paululum altius repetenda mihi exi-  
stimo. Tотus jam orbis adoraverat Romanum, neque prout  
nunc , varietas Religionum animos mortalium diviserat,  
cūm post Johannem Hussen concionatorem Pragensem,  
sed ob justas in turpem ex rebus divinis quæstum invectivas,  
contra datam fidem, in Concilio Constantieni exustum, fe-  
liciori, qu<sup>a</sup>m ille, successu Lutherus idem, sed egregium faci-  
nus , non solùm ausus est, sed & prosperè confecit. Dum  
heroico plane spiritu Deique singulari assistentiâ usus divi-  
nam restituit rem, atq; effecit, ut per universam Germaniam,  
Saxoniam cum primis & Hassiam, imò & Bohemiam susce-  
pta sibi gratularetur veritas atque habitaculum inter homi-  
nes denuò inveniret ; sed non sine maximo adversariorum  
odio. Prout enim à condito mundo semper impugnari Re-  
ligio c<sup>a</sup>pit, & hæc fere omnium dissidiorum publicorum ti-  
tulus extitit : ita sub nomine tuendorum sacrorum semper  
bella gliscere & alia ex aliis seminari hodienum compertum  
est. Olim Religio Hebræos armavit in gentes, & gentes vicif-  
sim in Hebræos armavit Religio. Eadem Hebræos Hebræis  
& gentes gentibus commisit. Ut ut enim inter Hebræos unus  
idemque Deus coleretur, litem tamen ceremoniarum dispa-  
ritas movebat s<sup>e</sup>pius. Imò hæc eadem magnarum inter ipsos  
clodium autor erat. Gentibus familiare fuit varios colere  
Deos: non tamen cuilibet liberum fuit statuere de iis, quod  
vellet.

vellet. Athenienses idcircò duplex gessere bellum Religionis causâ: unum adversus Boëthios oraculum Phocensibus erupturos, alterum eadem de causâ contra Lacedæmonios. Socrati Religio mortem attulit. Phidas, quamdiu Diana simulacrum ex ebore fieri affirmabat, tamdiu in honore erat: at cum idem ex viliori etiam materia fabricari posse putasset, discrimen subiit. Et quis ignorat, quantas clades Romani Principes olim Religionis causâ intulerint iis, qui Christi nomen professi fuere. Et quot præliis gentes à Christianis fusæ fuerint? Romanæ ergo crudelitatis hæres per Gallias, Hispanias, Italiam, Angliam, Germaniasque non minori sævitiâ inhorruit aduersus Evangelii cultores Deique servos, ut potius varia agitârit consilia de exscindendis, radicibusque extirpandis, quos perperam vocant, hæreticis, ratus sibi regnisque hujus mundi maximè prospectum, si omnes se adorarent, securamque tum inter omnes futuram pacem, si ad regis exemplum omnes crederent. At cum conscientiarum pax potior sit, neque animorum tranquillitatem mundanis legibus coerceri velit Deus, cui soli utpote in abdita & secreta arbitrium est. Ideoque occulte jam glisceribus per imperium belli civilis exordiis, malique exacerbatione in Bohemiam usque propagata, cum audacior hæc, Viennam Matthiâ Imperatore profecto, Brunaviæ inconsulto loci ejusdem Abbatæ ædem erexisset, sed jussu Cæsaris paulo post destruētam; projectaque per fenestras à se pace, in conscientias gravius metueret imperium; percusso cum Dacis, Pannoniisq; fœdere alium meditata est regem. Consilio licet incauto, & tristi eventu sibi regisque novo exitioso. Natumq; sic regis Ferdinandi repudium, & ex hoc bellum contra Fridericum V. Palatinum, diverso primùm utriusque partis successu dubium, usq; conducto undiq; milite auctæ Cæsaris vires, dum Septemvirorum nullus suscepitæ contra legitimum regem electioni faveret, Bohemorum spem labefactarunt. Quis enim subditis concederet potestatem abalienandi re-

gem electum , aliumque in locum illius pro arbitrio subven-  
hendi? Profecto , velut hic ausus oraculorum divinorum  
monita eludit: ita sequi cum solent fata , vix humani torren-  
te sanguinis expianda.. Germania certè belli existere inde  
cæpit area: Martisque sedes & ludus , in quo ipse lanista non  
ludicris pugnis & duelli proludiis exercuit tyrones arenæ , sed  
apertis in campis Regum & Principum inter se arma com-  
misit , & cruenta civilium præliorum spectacula per triginta  
& qui excurrunt , annos exhibuit. Quæ verò mala Tu,  
ô Elector Princeps providissimè! declinaturus , cùm omnem  
operam frustra collocâsses dehortationibus ad Fridericum  
ab invisis & inauspicatis sceptris , ratus alias commodiores  
pro tutelâ Religionis inventum iri vias , neque redire in gra-  
tiam cum Ferdinando Bohemi constituisserint , ne ultra quām  
par est , grassaretur tumultuantum numerus , à Cæsare cui  
omnem datam fidem servare constitueras monitus Lusa-  
tiam invasisti , præmissisque humanissimis Verbis , ut Cæsaris  
potestati se submitterent , neq; experiri ea incommoda mal-  
lent ; quæ bellorum violentia militumque impotentia secum  
trahit , postquām eam in rem Legatus nihil non solum profe-  
cisset , sed & violato gentium jure detineri intra Budissinam  
cæpisset , urbem eam post varia fortitudinis , tam ab obfessis  
quām exercitu tuo edita experimenta victor intraisti , atque  
triumphantis in morem à Senatu obviam facto ipse equo  
conspicuus , totumque corpus armatus , oblatis aureo disco  
urbis portarum clavibus veniam , deprecantibus culpam , de-  
disti . Domitâ sic Budissinâ , reliquos quoque Lusatios in po-  
testatem redegisti . Et post infelix Palatino prælium Pragen-  
se cùm Quadorum ordines in Uratislaviâ consulturi coiis-  
sent , quid sibi in tot adversis casibus armorumque victricium  
minis agendum , iterum ad pacis consilia ipsos admonuisti ,  
rogatusq; ne Quadis bellum inferres , salutem non solum Pa-  
latino & Cœsaris gratiam , sed & pristinæ fortunæ splendo-  
rem , ubi in fidem redire vellet , & his contraria , si nollet , au-  
daſter

dacter pollicitus es. Gorlitum dein, quod aliquantum audacius repugnabat, levi Marte subegisti, & Jegerndorfii Marchionis conatus apud Quados feliciter repressisti. Omnia, ut pacem imperio redderes & inconsultè suscepta contra Imperatorem arma plus prudenti consilio, quam barbarâ immanitate reprimeres. Dies hoc loco nie deficeret, si omnes curas, omniaque consilia tua pro Germaniæ afflictæ pace agitata sub eloquentiæ leges revocare vellem, atque eas recensere legationes, quas ad Cæsarem diversosq; Imperii Statutus splendidè instituisti, & aliunde ad te missas plenus autoritate & grandævâ quædam majestate audivisti. Historicorum hoc munus sit, quorum industriâ ad posteritatis recordationem singula de Te perscribantur. Mihi verò in compendium cætera redigere liceat, quæ magnitudine cæteroquin sua doctissimorum ingenia fatigare queunt. Restituta ergo Imperatori Bohemia, cæterisq; in obsequium, tuâ, ô Elector virtute redactis, hoc unicum tibi constare videbatur salvam jam fore universam Germaniam. At cum soplito incendio uno subnascerentur alia, neque quicquam feriaretur Martis truculentia, binisque eodem anno edictis caveretur, ut sive intra sex menses, ad primæ legis tenorem, sive intra quatuordecim dies, quæ secundi edicti summa erat, omnes cujuscunque conditionis & sexus ordines, præcipue nobiles Romanæ religionis placitis imbuerentur, aut totò regno faceſſerent, sub interminata gravissimâ pœnâ, omniumque bonorum publicatione. Germania dein universa diris exponeretur rapinis, atque ipsa etiam Saxonia cruento, & omnem barbari feritatem superante bello implicaretur, neque amplius contra rebelles suscepta videretur expeditio: Sed Tyllo Fridlandoque & Pappenheimio Cæſarianorum exercituum Duciibus omnes Principum & Electorum opes in discrimen venirent. Namque post diram bellorum luem, quæ undecim annos totos usque ad Balthicum & Germanicum mare boreali tractu grassata innumeros mortales abripuerat, provin-

F

ciæ

ciæ omnes effusis acie cadentium populorum sanguinis torrentibus cruentatæ cernebantur. Jamque post sopitum bellum Danicum etiam Magdenburgum militaris corona cingeret. Primum quidem magnificâ legatione Germaniæ querelam sub Philippo Ernesto Mansfeldiæ Comite coram Imperatore per Oratorem explicuisti, atque post enumera-tos tuos, cæterorumque ordinum labores in copiis alendis, stipendiis solvendis, delectibus, stativis, hybernis habendis & quam pluribus aliis pro fide Cæsarîsusceptis, dum nihilo-minùs, prædationibus, cædibus, incendiis misera jacerent cuncta, ut post homines natos nunquam Germania tot calamitatibus agitata & saltem nondum penitus deleta memo-retur. Ipsorumque Electorum privilegia ab Antecessoribus Cœsaribus perpetuâ fide servata militis effræni insolentia spernerentur, labefactarentur & in prædam concederent, jure meritoque pro afflictâ patriâ deprecatus es: Aliam conditionem merita tua poscere, aliamque remunerationem intemeratam tuam Constantiam. Exauctorandum ergò militem, ubi nullus hostis esset: vel è provinciis deducendum vel pœnis severissimis illius coercendam petulantiam. Deinde verò, ubi Wallensteinii sævitiâ nihil mitesceret efferum militis ingenium. Postremùm nobilissimam Saxoniæ civitatem, Magdenburgum, pulcherrimum sanè & opulentissimum ad Albim munimentum funditus excisum & tot milia Christianorum fœdissimè trucidata cerneret, doloris impatiens, sævissimum facinus spem omnem futuræ pacis in imperio abrupisse existimâsti, tuamque proinde rem agi, ubi vicinus conflagrâset paries. Fortè eo ipso tempore irritatus à Cœsareanis in Lubecensi diæta Suecus, & quod Cœsar Sarmatis auxilia suggestisset, principesq; sibi consanguineos Ducatu expulisset. Et Megapolitanis Ducibus in patriam reditus spes omnis abscinderetur, adactis à Fridlando ad præstandum sibi homagium Ducatus illius subditis, interdictaque illis religionis avitæ securitate, Pomeraniâ suprefata

ratâ Saxoniæ vicinior erat. Ut ergò indignè tulisti Te, ô Elector Fidelissime! optimeque de Imperio meritum à Tylliæo armis peti , atque perperam Electoralis ensis labores pro recuperatâ Bohemia & Austriacæ Domus felicitate compensari, ad magnanimi Ducis exemplum, ipse magni animi Princeps, ô Elector potentissime! neque malis infringi, neque adversæ fortunæ impotentia cedere voluisti , quin potius audientius contra ire, atq; injurias Tylliæi insolentiâ, Cœsarianorumque militum sævitia illatas ulcisci certus , conducto ingenti exercitu fœdus cum Gustavo Adolpho , immortalis nominis Rege, in societatem simul eunte Electore Brandenburgensi pepigisti , atque haud procul Lipsiâ cruentum prælium adorsus es, primaque impressione abs Te factâ , Elector fortissime , Sueco dextram tenente alam , cum hoc maximam de Tylliæo Pappenheimio cæterisque Cœsareanis insanum & indomito fere robore pugnantibus gloriosam reportasti victoriam, ut profligatis cæsisque his Lipsiam & quæ intempestiva Martis crudelitas hauserat recuperares. Serò tum quidem Cœsar cogitare cœpit, optimum & potentissimum Principem non fuisse irritandum, ut propterea de pace agere per Hispanum Legatum ex usu fore censuerit. Qui verò auditio, non posse Te coram Sueciæ Rege armato , Victoreque in fœderatorum Principum oculis aliquid transfigere, in primis post vulneratam causam, sibique & Electorali purpuræ tot illatas à milite injurias, nisi de universali Germaniæ pacificatione ageretur, ne illorum vetricibus armis in Te conversis belli incommoda cladesq; novas sentires, sine spe dimissus est. Pragam inde ab Arnheimio intrepido bellatore ob sessam ditione accepisti. Fremebat tum gaudio universa Praga , & tanquam asylo , noviter constituto confluebat in eam ex omnibus provinciis magnus mortalium numerus ob religionem toties proscriptus , gratulabaturque Tibi Evangelicæ Veritatis Assortori & Liberatori sui. Cætrum neque sic fortuna tua indies incrementis suis ad majora.

properans sistebatur. Hinc Mansfeldia firmo præsidio, com-  
meatibus & armis satis munitum oppidum post tot tormentorum  
fragores tuum accepit jugum: Illinc ad Limburgum  
Arnhemius feliciter pugnavit, atque urbe præsidium exce-  
dere jussit. Mox intrepidus manu, animique imperterritus  
Hoffkirchius Liburnos Pragensi in agro fudit. Iterum divi-  
na & insomnis providentia à Liburnorum insidiis turum te-  
præstitit, ut tuis innotesceret hostibus, amplius aliquid, quām  
cæteris mortalibus præsidii cælestis adesse, neque eos tam fa-  
cile falli posse. Tantarum ergò rerum tuarum successu &  
Suecis crevere victoriæ, ut alterâ vice per Ducem Lauenbur-  
gicum tui conciliandi Cœsar curam ageret. Imò & paulo  
post, ubi vafer consiliis & astu Wallensteinius Bohemiam af-  
fixisset, atque de pace tecum deliberanda fecialem misisset,  
tum ut Suecici Regis partibus te abriperet, tum ut ultro ci-  
troque missis nunciis tua consilia, exercitus, habitum aëtio-  
nesque & partes singulas exploraret: non tamen fucatâ re-  
rum specie decipi Te Deus voluit, ut potius tectis illius sub-  
dolis artibus, dum improviso impetu imparatum & mali ni-  
hil suspicantem obruere, traductis jam clanculum ultra Al-  
bim aliquot legionibus, destinarat, in ipso velut puncto eri-  
puerit & hostis tui impias eluserit machinationes Arnhemii  
vigilantiâ. Defunctus ergò tanto periculo, ubi Wallensteinii  
potentia posteà crevit, coacto Torgavium conventu Proce-  
tum novoque militum delectu habito, Arnhemium denuò  
in Quados expeditionem suscipere jussisti, cuius virtute pri-  
mo quasi aditu Glogavium deinceps Uratislavia tuum agno-  
vit imperium, factaque magna ad Viadrum Cœsarianorum  
strages. Imò dum res Suecorum ad Norimbergam declina-  
re, & in angusto stare viderentur, Saxonum tuorum auxilio  
anxii Regis curas sublevasti, ut conflictu ad Norimbergam  
edito ille à Wallensteinii se extricaret conamine, atque paulo  
post belli flamas concipiente Saxoniâ, Lipsiaque Wallen-  
steinio dedita, datæ fidei memor in hostes moyeret, editoque  
cruen-

cruento prælio victor ad Lützenam, morte libertatem Saxoniæ assereret. Verum enim verò ne sic quidem quies. Recruduere undique Cœsarianorum agmina. Opposuisti ergo illis, Wallensteinio in primis Arnheimii tui robora, quibus ille ad intercessionem procul dubio in Quadis deletus fuisset, nisi vaferrimus Wallensteinii animus bellandi oportunitatem & prætii felicia auspicia, fallacissimâ pacis persuasione reprefisset, atque se suumque exercitum à præsentaneâ clade, tuis verò victoriæ gloriam eripuisse, quam tamen admirandâ ad Lignitzium bellandi virtute integrum deinceps reportasti, dum datâ pugnæ tesserâ Saxonibus tuis: Deus nostrum auxilium, tertio idus Maij 1634. cum Cœsarianis animosè pugnasti, horumque acie disjectâ incredibili ardore & inconsueto robore validissimum fudisti exercitum; & tantò quidem majori laude, quanto vel ipsorum adversariorum testimonio validiori ipsa elementa impetu pro Te certâsse comperta sunt. Orta repente ventorum procella Cœsarianorum in vultus tantâ violentiâ sœviit, ut tormentorum, sclopotorumq; fumo adversus hostes retroacto omnis ipsis pugnandi facultas adimeretur, atque sic fumus cœlum, venti in partes tuas succederent. Ignosce, pientissime Elector, quod ea pro laudibus tuis congeram, quæ soli debentur providentia supræmæ. Si enim Constantini Magni augebat gloriam, ipsum numinis præsentis ope viciisse, profectò vœcordis animi esset, ea à me præteriri, quæ cœlestis beneficii magnitudinem, atq; inde pietatem tuam exprimere nata sunt. O Ergò

*Nimium dilecte Deo, cui militat aether*

*Et conjurati veniunt ad classica venti.*

Successit inde in obsequium tuum cum Glogavio tota Quadrorum provincia, nihil officiente labore ac solicitudine Cœsarianorum, ut potius hi tuæ virtuti cedentes honestius imperata facere, quam proptervè perire maluerint. Denuò ergò tantis successibus clarus ab Imperatore ad pacem sollicitari cœpisti. Et uti quidem nunquam quicquam in animo

G

tuo

tuo fuit majus, quām pacem quærere, pacem habere, pacem  
 fovere. Ita ubi serio tecum agi visum est, arma moderari  
 voluisti, ne te tuosque everterent, atque in tantum cum Imperatore  
 convenire, in quantum id subditorum & communis Patriæ salus admitteret. Cūm enim publici amore boni  
 accensus, Germaniæq; quietis cupidus, nihil quicquam remittentibus à Gustavi morte belli incendiis, atque exteris ar-  
 mis cuncta porrò quatentibus videres, pace cum Cœsare  
 factâ Te aliösq; Imperii Status haberelibertatem posse, quam  
 icto cum Suecorum Rege foedere nisi armatâ manu tueri  
 non poteras, sublatis bellandi cum Cœsare causis & discor-  
 diarum omni metu soproptò à bello feriari maluisti, quām pa-  
 triæ accelerare ruinam. Retraxisti ergò arma, quæ poteras  
 resumere, si expediret in publicum. Imò quiescere voluisti,  
 ut paci esset locus. Et dum propriam multi aviditatem vi-  
 ctoriis explorere satagunt: tu tamen non tam cruentæ inten-  
 tus gloriæ ardori, quām patriæ securitati condendi & evagi-  
 nandi gladii peritus, utrumq; suo destinasti tempori, ut neq;  
 sub discrimine tibi deesset acies, neque oblatâ tranquillitate  
 promptissimus ad amicitiam animus. Cæterum, prout quæ  
 sano suscipiuntur consilio, non tamen ab omnibus appro-  
 bantur: ita dum quietem sectatus es, nihil minùs, quām quietem  
 obtinuisti, Suecis ultionem tibi destinantibus, atque indigne ferentibus, Te sine bello pacem velle. At non deerat  
 Tibi exercitus, non contra novâ pericula vires novæ. Vedit  
 Lipsia in apertos denuo produci campos lætas militum co-  
 hortes ære tuo conductas, quorum numerus triginta duo  
 explevit millia, integras nempe equitum turmas copiosaque  
 agmina; quorum potentiam haud sustinens Banerus in Po-  
 meraniam recessit. Vedit deinde Magdenburgum Te sui li-  
 beratorem. Et quamvis Banerus non minùs frustandis tuis  
 conatibus quām suæ gloriæ in cā urbe servandâ intentus ma-  
 gnoperè laboraret, ut undique militum auxilia contraheret,  
 frustra tamen solicitude ipsius fuit, dum urbs in tuum venit  
 obse-

obsequium. Natum inde tibi ad Wittstockium dubium præ-  
lium, in quo incautos paululum tuos Dux Banerus, nescio  
quâ fati asperitate etsi cedere cogeret. Tu tamen illo in præ-  
lio neque assiduis laboribus neque indefesso studio pepercis-  
ti, quo ipse aciem instrueres, militem adversus hostem edu-  
ceres & pro Cœsar is salute acriter dimicares. Incerti sunt  
bellorum casus. Et ubi hostium vincit numerus, aut loci  
oportunitas, melius est referre gradum & servare militem,  
quam inevitabili eum relinquere discrimini. Et quid hæc  
memoro? Subsecutā statim alia egrægia facinora, quæ decli-  
nantem restituere rem. Görlium siquidem occupasti. Et  
quod de Annibale dicitur, eum in obsidione Saguntina, tum  
in conficiendis admovendisq; machinis ad dejicienda mœ-  
nia, tum in adeundis locis, ubi imminens periculum ostende-  
batur, semper primum conspectum fuisse: atque omnia de-  
nique non secus egisse, ac si nihil inter se & militem interesset:  
ita in oppugnando Görlium ipse operi tantâ curâ institisti, ut  
tuis ipsi simet manibus tormenta libraris & disposueris, qui-  
bus oppositâ munimentâ continua pilarum jaculatione pul-  
sares. Alias innúmeras civitates abs Te captas & in obsequi-  
um ire jussas omitto. Quis enim omnes tuas victorias com-  
plete retetur? Hoc solūm memorandum, Banerum, singularis  
aliâs felicitatis & experientiæ militaris Duce, paulò post  
Germaniâ penè omni excessisse militis tui robore, qui pari  
numero, tanquam nullus ex tuis clade cecidisset, similiq; vir-  
tute ex sociorum velut sanguine pullulârat, perterritum, tra-  
natoque Viadro pristina ad Pomeraniæ usque fines retro  
legisse vestigia: Te verò in novæ victoriæ spe retardâsse. De  
quo verò vel eo nomine Tibi gratulari potuisti, quod novas  
in patriam tuam molitus impressiones fati necessitatem intra  
Martisburgi arcem expertus sit, atque apud Cheruscos tuos  
mortalis gloriæ terminum viderit. Hoc ergò modo semper  
tui similis ubivis fortitudinis excellentiâ clarus fuisti, novisq;  
semper facinoribus priora illustrare statuisti: itaque rebus

præclarè gestis res præclarè gestas, & spolia ex hostib[us] relatis nova semper addidisti, usque dūm Chemnitzio aliisque Cheruscorum civitatibus post depulsa Suecorum præsidia occupatis, tantis bellorum incommodis finem impositurus armistitium cum Suecis fecisti. Sed quid ajo? ingruit post hæc sceleratissimi seculi desperatissima hora, quā non ad pristinorum seculorum gloriam, quibus ille præcipue spectandus erat bellator

— *Taciti nullâ qui fraude soporis  
Ense palam sibi pandit iter rediutque cruentus  
Et Diomedais tantum felicior ausis  
Quantum lux tenebris manifestaque prælia furtis.*

Virtute scilicet & Marte aperto, quibus omnium Heroum fortitudinem & candorem aut superasti aut æquasti, sed latrunculorum more & furtiva quādam rabie Te adoriri sic quidem constituit æternum impietatis mancipium, ut Te sanctum Electorem, Te afflictæ pietatis tutissimam anchoram, Te Regum & Ducum sanguinem cum cōjuge & liberis (exhorresco referens) & omni eo, quod in tui præsidium roboris superesset, aut nefario sceleri virtutem opponeret, obtruncaret, jugularet, exscinderet & funditus deleret, Aulam universam tot sacratissimorū capitum cæde urbem omnem terroribus sanguine & lachrymis, domos rapinis ululatibus & luctibus compleret, & nefanda alia patraret, qualia ab ultimis Scythiae populis neque horrens unquam vidit Caucasus neque Hyrcanæ tentavere feræ. Sed divinus, qui te complectebatur amor, ô magna Numinis cura Elector maxime! superabat omnem hominis versutissimi calliditatem, ut quantumvis suscepisti sceleris consciūm præter se neminem vellet, machinationis tamen suæ nefanda audacia Numinis vigilantiâ proderetur. Ite jam insipientis seculi clandestini Consultores: Ite, qui superos nullam mortalium curam age, atque tanquam nullus arcane mentis arbiter cœlo terraq; existat, solertique indagine coelestis providentiæ excubias falli

falli posse arbitramini! Tristi fato ereptus est Elector, & ipso  
 penè momento, quo feralis immittenda erat tempestas, ex-  
 cubantis Jehovæ dextra fefellit nefariorum solertiam, ut jam  
 certè constare vobis possit, illos ipsos, quos sibi his in terris  
 Vicarios summa legavit potestas, potentissimo quoque au-  
 xilio semper stipatos incedere, atq; ab omniā audiente aure,  
 nescioq; soporis oculo moneri, imò passis umbræ in morem  
 alis Omnipotentis protegi, ne violentioris solis spicula de die  
 cutem urant, aut Lunæ nebulosioris halitus de nocte artus  
 degravent, & seu domi intra privatos se contineant parietes  
 curarum mole distenti, seu foris belli pacisque obeant mune-  
 ra, sospites tamen è præsentissimis periculis eruantur. Seja-  
 nus verò frustra tentatis omnibus suo tempore tanti sceleris  
 autori poenas dabit, & in æthneis procul dubio fornacibus  
 meritorum suorum annales dignis nisi resipuit, leget suppli-  
 ciis. Intereà nihil tibi induciis visum fuit commodius, ut  
 etiam ad Osnabrugensem & Monasteriem easdem exten-  
 deris pacem, totiq; Germaniæ exoptatam, ex quâ tanto ma-  
 jor Tibi nata gloria, quanto intensiori cupiditate pacis pro-  
 movisti consilia, dum inter Imperatorem & duos Reges Gal-  
 lum & Suecum, Orbis potentissimos monarchas, Imperiiq;  
 Status non tam bello victos quàm fatigatos, neque tamen vi-  
 tribus exhaustos, quàm in nova semper prælia, si opus esset,  
 promptos, atque irritatarum instar ferarum acerbius ad in-  
 vicem surrecturos, factâ amicitiâ omnem Germaniæ cala-  
 mitatem sustulisti, ut jam ad majora incrementa velut nova  
 resurrexisse videatur, atque inter cætera melioris fortunæ  
 documenta maximam sibi reputet questum contra inferos  
 manes, totis conatibus pacis negotia averfatos cum induciis  
 diu efflagitatis, quas, ô Deus! æternas esse jube! stare Reli-  
 gionem, Veritatique cœlesti undiquaque digna fieri sacrifi-  
 cia, quæ tanto sublimiori se elevabunt gloria, quanto am-  
 pliori te elevasti felicitate supra majorum tuorum autorita-  
 tem, Johannis Friderici in primis, qui cùm haud pspero suc-

H

cessu

cessu cum Carolo V. pugnasset, electoralem claudere coactus est purpuram, exspirantisq; Septemviralis dignitatis eminentiam concedere Mauritio, qui primus in gentem tuam sacram Imperii ensem intulit, Tibique singulari Numinis favore per Avi Patrisq; & Fratris tui transmisit manus. At Tu per pietatem tuam stetisti, neque ullis hostium viribus aut dolis everti potuisti, ut potius medias inter Bellonæ tempestates alterum institueris Lutheranæ Religionis Jubilæum atque publicatæ à centum retrò annis Augustanæ Confessionis memoriam festo solemni celebraveris. De C. Fabio Dorsso refert Valerius Maximus, ipsum memorabile exemplum servatæ religionis dedisse; namque Gallis Capitolium obsidentibus, ne statum Fabiæ gentis sacrificium interrumperetur, Gabino ritu cinctum, manibus humerisque sacra gerentem per medias hostium stationes in Quirinalem collèm pervenisse: atque omnibus ibi solemni ritu peractis in Capitolium post divinam venerationem victricium armorum perinde ac victorem, rediisse. Non aliter tu inter medias armorum furias, & ubi quam maximè Religio impetratur, tanquam victor seculari iterum sacrificio triumphasti gentisque Lutheranæ sacra propriis velut humeris extulisti. Dum temporis illius recordor, nescio quis sacer horror peccatus meum concutiat. Ardebat totus orbis bello, jamque devoratus videbatur regna & provincias, urbes & agros inclementior ignis. Et ecce! inter maxima discrimina, mediosque rapidissimorum ventorum turbines salva nihilominus fulsit Religio, inermis pene, & saltē non planè subacta. Fumabant thure laudum altaria, implebantur concentibus in Ter gloriōsi Numinis honorem templa, lætabantur senes pariter ac juvenes, matres & puellæ triduano jubilo, tanquam renascentis natalem orbis celebrare instituisses. Et meritò quidem. Denatus erat mundus sacrilegis legibus corruptus falsorumque cultuum & prophanarum mentium veneno extinctus. Renasci ergo dum cœpit, ubi è papatus emer-

emersit tenebris , quis non illius diei memoriam in reviviscentis mundi interpretaretur decus? Æquum nempe erat tantum Belli Dictatorem, à quo haud pauciora, quām ab Augusto bella gesta erant, civilia, nempe contra Lusatos, Quados, Bohemos, Cæsareanos & Suecos, pacis quoque & tranquillæ pietatis exercere Dictaturam , ut qui inter arma divinam senserat opem, etiam laudum præconiis extolleret eum, ad cuius nutum omnis stat & corruit humana felicitas , & à quo omnis pax & victoria. Et quid memoro alterum saltem Jubilæum? Cur non etiam tertium. Janum Quirinum pace mari terraque partâ brevi temporis spacio ter ab Augusto clausum accepimus. Tu ô Elector Augustissime ter Jehovæ aperuisti atria, ut profligata Veritas intraret, neque graviores ignominias aut clades experiretur ; & ultimò quidem redditâ Germaniæ pace, seculi hujus in medio, clausisque trigesimalis belli portis. Cùm enim anno M. D. XXX. Carolo V. orbis moderante clavum, Augustæ Vindelicorum universus vidisset orbis salutarem Evangelii doctrinam velut è Cimmeriis eductam tenebris, atque paulo post anno M. D. LV. Romanorum Rege Ferdinando I. interprete, inter laudatissimum Imperatorem & Protestantes Imperii Status, sive Augustanæ puritatis socios, aurea religionis pax ibidein sancta fuisset, noluisti operis planè divini recordationem tuo peri re seculo, quin potius in dicto per Saxoniam Jubilæo seculari, quod exemplum & Hassia & aliæ nuper imitatæ sunt regiones, tertiam vice Janum quasi claudere voluisti, supremumque denuò per preces invocare Numen, ut fidelium suorum gregi porrò præesse, atque ad mundi usq; perituri terminos contra lupos & quoscunque hostes validè tueri vellet, exemplo Priscorum, qui Dei extraordinaria beneficia singulari semper celebritate venerati sunt. Video hīc amplissimum mihi patere de ternario differendi campum. Si enim in numeris quædam est potestas, quod voluere nonnulli, ipseque ternarius numerus est sacer, numerosque perfectionis & potentia:

Tres enim personæ sunt in Deo. Tres virtutes Theologicæ. Ipseque ternarius trino augmento perfectus est, longo, lato & profundo, ultra quæ nulla datur dimensionis progressio; unde primus numerus cubicus dicitur, & à Philosopho lex quædam, secundum quam omnia disponuntur. Nam & corporalia omnia ipsaque spiritualia tribus constant, principio, medio & fine. Totusque mundus in numero pondere & mensurâ creatus est. Imò omne corpus tria habet principia, & est animarum quædam trinitas. Daturque in rebus omnibus centrum, quod est basis seu fundamentum & agens, secundò species sive Character, aut signatura & forma agendi, & denique suus spiritus actio, emanatio vis & fluxus, cum omnia hujus visibilis mundi producta ad autographum invisibilis archetypi fabrefacta sint, mundus hic visibilis umbra sit invisibilis, tresq; sint, qui testimonium perhibent in cœlo & terrâ. De quibus verò ut plura dicam, temporis haud permittit brevitas. Si ergò, inquam, in ternario quædam est prærogativa & gaudium, nescio profectò, annon præ cæteris mortalibus singularis quædam ternarii impressio ex Te eluixerit. Præterquàm enim, quòd trium Jubilæorum Celebator exticisti, vidit Te quoque ætas tua Trium Imperatorum Designatorem D. Matthiæ 1612. D. Ferdinandi II. 1619. D. Ferdinandi III. 1636. quibus addere liceat Ferdinandum IV. Romanorum Regem, tuo quoque suffragio 1633 electum. Iterum conspexit Te triplicium insignium potestatum Gubernatorem, dum Electoralem quidem gladium anno 1611. octavo Calendas Julii accepisti, deinde bis sub Imperii interregno à Rudolfi nempe & Matthiæ morte anno 1612. & 1619. vicem ejus obiisti: nec non tertio bis summam bellum di-  
staturam id est Generalatum pro Cœsare anno 1620, 1621, 1622 & 1635. cum autoritate administrasti, quo ipso etiam trium expeditionum bellicarum moderator claruisti, contra Lusatos anno 20. Pontificios deinde anno 1631, postremò Suecos 1635. & trium regionum expugnator Lusatia, utputa  
anno

anno 1620. Silesiæ deinde, anno 1621. & 1633. & Bohemiæ  
 anno 32. Imò & trium emporiorum nobilissimorum Recu-  
 perator. Lipsiæ nimirum, anno 1631. Magdenburgi deinceps,  
 1636. & Görlitzii, anno 1641. Nondum finis. Variâ alia  
 fortunâ triplicitatis quoque diadema obtinuisti. Triplicem  
 in Imperio ruinam meditabatur populorum dissensio, dum  
 Quadi quidem anno 1620, Dani, 1629, & Protestantes, 1635.  
 Imperatori arma opponerent. At triplicis hujus discordiæ  
 Tu reconciliator extitisti. In triplicia alii jurabant foedera,  
 eventu suo cruenta satis & toti Germaniæ formidabilia.  
 Uniti scilicet, anno 1612. Bohemi, 1619. Sueci, 1634. Horum  
 Tu providum Te dehortatorem exhibuisti. Sic ter contra  
 prævisa tela, variaque belli præludia defensionem concin-  
 nâsti, primam quidem in conventu Norimbergensi, anno  
 1611. alteram deinde in conventu Mülhusano, 1620. & deni-  
 que tertiam Protestantium, anno 1631. Imò & triplici Re-  
 gum calamitati Te ingemuisse accepimus; Henrici nempe  
 Quarti Gallorum, nefarie à sicario imperfecti; Friderici po-  
 steà V. Bohemorum, sed è nuper accepto regno calamitosè  
 ejecti; & Gustavi Adolphi ultimò Suecorum, ad Lützam for-  
 titer quidem dimicantis, sed gloriosè occumbentis. Ut neq;  
 taceam tres Præfulatus, quibus magno honore præfuisti:  
 Martisburgensem, ad quem anno 1603. Misnensem ad quem  
 anno 1611. & Numburgensem, ad quem anno 1616. suffectus  
 es. Et Confraternitates tres, quas sanctè observâsti, Bohemi-  
 cam nempe avitam, anno 1587. initam: Electoralem deinde,  
 anno 1611. contractam: Hassiacam postremò & Branden-  
 burgicam, anno 1614. sapientissimo sanè consilio renova-  
 tam, ne fatiscente Principum dictorum stirpe, deessent, qui  
 succederent, exterisque sic omnis irruendi in suas ditiones  
 ansa præscinderetur. Sed ne sic quidem ternarii gloria ter-  
 minari voluit. Tres filias abs Te genitas triplici Numinis su-  
 premi favore Tribus maximis elocâsti Principibus. Domi-  
 nam quidem Sophiam Eleonoram, anno 1627. Serenissimo

Principi ac Domino, Domino GEORGIO II. HASSIÆ LAND-  
 GRAVIO, Principi ac Domino nostro clementissimo, & Aca-  
 demiæ hujus Restauratori munificentissimo, puellam Virgi-  
 nem, sed Principem Electorali spiritu turgidam Heroi :  
 Nympham divini operis, sexusq; fœminei gloriam, Principi  
 non minùs corpore egregio, quām ad hæc usque tempora,  
 quod de Augusto proditum est, per omnes ætates, formâ exi-  
 miâ & venustissimâ, eloquoque nulli Principum Germaniæ  
 secundo, quod sanè connubium tanto amabilius & auspica-  
 tius tibi videri potuit, quanto arctius & durabilius selectissi-  
 mo Principum pari divinâ natum est providentiâ vinculum,  
 quantoque splendidiora Imperii decora ab ipsis prognata.  
 Ingenio nempe & robore prævalidus LUDOVICUS VI. qui  
 dum celsissimum parentem facie, moribus, facundiâ & pie-  
 tate refert, menteque, quæ paucis data sunt, cuncta tenet,  
 magnum aliquando Imperii existet columen. GEORGIUS  
 deinde III. materni speculum vultus, & præter alia excellen-  
 tia, Principemque decentia dona, Martis genuinus pullus, &  
 aliæ sexus fœminei dulcedines, tantò illustriores, quanto ma-  
 joribus virtutum splendoribus alias sui sexus & honoris  
 puellas antecellunt. Alteram verò Dominam Mariam Eli-  
 sabetham, anno 1630. Friderico Holsatiæ & Slevici splendi-  
 diissimo Duci, quæ dum duodecimo partus experimento in-  
 signe fæcunditatis testimonium edidit, enixa tamen poste à  
 gemellos, & post hos nondum sterilis, inexhausti vigorem  
 uteri professa est, eo nomine quoque felix, quod Sueciæ Regi-  
 nam, Hassiæ verò & Ascaniæ Principibus duas dederit filias  
 conjuges. Et tertiam denique Magdalena Sibyllam, ineffa-  
 bile pulchritudinis, generosiorisque animi exemplar, anno  
 1634. Serenissimo Dianiarum Norvegiarumque Principi,  
 quæ ut ut maturo regii sui Principis funere nullam tori spem  
 sustulit: Altenburgi tamen haud pridem desponsata Duci,  
 neque se inferiorem sororibus exhibere cæpit. In Messicana  
 Indiæ terra, quæ ad austrum maximè vergit, arbores quædam  
     sunt

sunt ingenti proceritate conspicuæ , quarum rami cùm ad duodenos cubitos creverunt , reliquum incrementum prounum faciunt deflexi, quo usque terram extremitate contin-gant. Cùm verò terram sunt ingressi, propaginum instar ra-dices agunt, mox rursus è terrâ erumpentes in truncum exe-unt: ad justam magnitudinem cùm excreverunt, alios pro-ducaunt ramos, qui cùm eorum altitudinem, unde propagi-nem duxerunt, attigére , flectuntur & alios tenellos produ-cunt truncos, quideinceps alios. Ita ab unâ arbore fit umbra-culum, tabernaculo multi columni non dißimile, aspectu nō injucundum. Non aliâ ratione inflexis ramis novos produ-xisti truncos , & hi novos ramos & hi nova germina & hæc alias arbores fertilitate ad invicem certantes, unde tot Prin-cipatum, Ducatum, Regnorum columnæ & umbracula. Et quid plura referam? Tribus ditionibus noviter domina-tus es. Uti enim ante seculum Saxonia Evangelio , ante duo secula Electoratu, ante tria Voigdlandiâ & Osterlandiâ, ante quatuor Thuringiâ, & ante quingentos annos Misniâ aucta est; ita præter Ducatus Juliæ, Cliviæ & Montium Dynastia ei accessit Querfurtensis, anno 1638. Marchionatus Lusatiae 1637. & Praefectura eodem anno Magdenburgensis. Triplices conventus illustrâsti , tot nempe Electorales, tot imperiales, tot circulares. Tres in columnates spectâsti: Electoratum vi-delicet tuum hæreditarium , & jam in successore filio per tot inquietudines salvū. Te ipsum deinde, post superatos Martis asperioris scopulos in columem. Tutos postremò & in splen-didam dignitatem assertos liberos nepotes & neptes, prone-potes & proneptes, terque vigesimo septimo eorum numero posteritatem tuam auctam vidisti. Pauca hæc essent , nisi quod palmam omnibus præripit , justitiæ Tibi deberetur præconium. Dum enim tria sunt, quibus excellere divina vi-detur natura secundùm Plutarchum , & quibus se Principes illi similes efficere cupiunt: Perpetuitas, vis & virtus. Ita in-ter hæc summa certè majestas est, & justitiæ divinitas. Perpe-

tuis enim postquam facta sunt, & interitus expertibus esse etiam elementis & inani suâ naturâ contigit, quæ utpote perpetuâ rerum generatione nunquam sui defectum sentiunt, neque sentirent, nisi legibus Conditoris aliquando dissolutionem expectarent. Terræ verò motus, fulmina, ventorum turbines, fluviorum inundationes vim habent magnam: Justitiæ autem & æquitatis, quæ in Deo sunt, nihil nisi quod sapiat & res divinas intelligat, fit particeps, licet maximus mortalium numerus immortalitatem nostrâ naturâ superiorem affectet, potentiamque in fortunâ majori sui parte positam appetat, virtute, quod solum de divinis bonis in nos cadit, post hæc positâ. Stultè satis; quòd vitam potentiam, fortunâ & principatu præditam justitia quidem divinam, belluinanam verò injustitia reddit. At tu præter insignem potentiam & perpetuitatem, quam in posteris certò Tibi polliceri potuisti, justitiæ in primis splendorem secutus es, atque hâc ipsa immortali virtute felicitates & opes tuas unicè coronâsti. Unde ut omnia haud promiscuè, sed secundùm æquitatem agerentur, tres Novellas promulgâsti: Provincialem primò, ad tollenda popularium tuorum gravamina anno 1612. Judiciariam posteà, anno 1622, ut litium esset finis & certus in iis processus observaretur. Matrimonialem ultimò, anno 1626. Tresque Ordinationes consultò reiterâsti: Sumptuariam anno 1612. Monetariam, anno 1623. & Pœnitentiariam, anno 1626. Quin & pro Ecclesiæ salute decretum generale, anno 1624. Pupillam Evangelicam, anno 1628. & ejusdem defensionem, anno 1630, triplex sanè p̄fæsidium, promulgâsti, quibus ceu muro aheno stetit haec tenus & in posterum, donec vasti hujus mundi orbita perennabit, haud labefactata constabit sibi Religio. Sic ergò divinæ æquitatis jus ad exemplum accepisti non solùm à Deo, sed & imitatus es. Sic ad patriæ salutem imperandi flexisti habenas justisque institutis rexisti subditum populum. Non fastidio Tibi fuere pauperum questus, quominus clementi eos admitteres aure,

non

non flexere te potentum prærogativæ, ut abscederes à tutelâ infirmorum, delinquentes justâ astecisti poenâ, neque tamen prævaricantes misericordiæ tuæ radiis orbare penitus, aut deprecantibus culpam, veniam negare voluisti. Temperata viguit justitia tua, rigoremque juris laudatissima remisit clementia. Olim Antonini Pii & Nervæ Imperatorum numismata fulmen in toro collocatum referebant, clementiæ Principalis lenitatisq; symbolum, sed quæ nefariorum audaciâ irritanda non esset; Et si videretur mitis inter mollia strata quiescere, tamen lacepsita terribilis subito coruscaret & ictum intentaret. Non aliter Electorale carpentum tuum duobus conspicuum fuit gladiis rubei coloris inter se impli- catis, sed in albo, nigroque campo. Ergò illi tuo incorruptæ mentis rigori justique tenacissimo humanitatem quandam comi vultu prætendisti, ut Te cives tui fidentius adirent. Namque eximia venerabilis oris tui comitas, morumq; sua- vitas omnibus Te reddiderat amabilem, ita tamen, ut etiam timereris severus flagitorum ac scelerum vindex. Quo fa- tum, ut Sicarii & Thrasones, suppliciorum metu, sibi à cæ- dibus temperarent, & cives mutuas seu ponerent seu preme- rent discordias. Augustus vultu vel in sermone vel tacitus adeò tranquillo serenoque fuisse traditur, ut quidam à pri- moribus Galliarum confessus sit, intersuos, eo se inhibitum ac remollitum, quò minùs ut destinarat, in transitu Alpium per colloquium admissus in præcipitum propelleret. Eadem vultus tui & humanitas & majestas, quoties Deum immor- talem, Te salvum præsttit? quoties in columitatem attulit? Totum & hostium & Saxonum tuorum amorem demeritus es, sedisti in recessibus benivolentiæ, in quibus liberorum, in quibus parentum delitescit affectus. Electorale illud paluda- mentum tuum, sella curulis, purpureæ trabeæ, obsequen- tium stipatio ac fulgur, tuorum quidem meritorum fuere ornamenta, pulcherrima sanè & augustissima, sed longè illa- majora, quibus in animis hominum æquitate & moderatio-

K

ne

ne triumphasti. Exularunt Te Duce à foro & curiâ fraudes & doli. Solus sinceritatis cultus exultavit. Non dolosis fallacium rabularum vocibus, & officiosis verborum captiunculis aures tuas dedisti. Non personarum aut divitiarum splendore animi tui constâtiam labefactari passus es. Par in omnes extitit ratio. Stipataque prudentiæ tuæ domus Optimo quoque Consiliariorum alia non audivit, quâm ex Apollinis tri-pode data responsa. Visâ hâc sapientiâ tuâ, quatuor Imperatores Romani, Rudolphus II. Matthias I. Ferdinandus II. & III. (sub quibus, non secus ac Augustus Avus quoque quadrigam Imperatorum suo vidi tævo Carolum nempe V. Ferdinandum I. Maximilianum II. & Rudolphum II. imperasti) maximis & arduis admodum Imperii te applicuere negotiis, neque tuo sine consilio per splendidissimas legationes toties explorato quicquam ferè exorsi sunt. Imò Matthias glorio-sæ recordationis Cœsar cum Ferdinando tum Bohemorum Rege, sed posteà Imperatore anno 1617. viii. Calendas Au-gusti singulari in Te affectu Dresdam venit, tuumque ibidem colloquium poposcit. D. F E R D I N A N D U S verò III. Imperator Semper Augustus hoc tempore rerum potitus post assertam Germaniæ pacem, ob præstitam Imperio & Cœsari fi-delitatem, germanique genii tui candorem Pragæ placidissi-mos animi Imperatorii motus tecum miscuit, quantusque in oculis suis esses, palam fecit. Perspectâ post hos eâdem pru-dentiâ tuâ summâ semper veneratione te prosecuta est filiorum tuorum, Principum Optimorum Maximorum quadri-ga. Hæc disciplinam institutionem & cætera virtutis præcep-ta abs Te hausit Elector Prudentissime! Tu curas, labores, affectum, & quæ à parente proficiisci possunt, omnia imper-tivisti. Illa parentis incolumentem : Tu Sobolis salutem à Deo impetrasti, ut nesciam an hæc felicius genita sit, an Tu eam felicius educâris? Quid enim juvat Principum stirpem longâ avorum serie accepisse, nisi & ab æternis ignibus futu-ræ gloriæ æstuans animus simul traditus sit & in obsequium  
virtu-

virtutum promptus? Illos verò Naturæ Conditor nasci voluit, ut essent, in quibus se virtus tua per omnes numeros hominibus efficaciter ostenderet. Excellentiora in iis sunt ingenia, quām ut precarium ducant spiritum. Unde majorem nactus Scipione Africano felicitatem, neq; à splendore tuo degenerarunt, neque ignaviæ unquam imbuta sorribus existent nobilia portenta. O Te ergò beatum, qui maximam mortalis beatitudinis partem in filiis, in filiabus, in posteris vidisti! Sedula nimis antiquitas fuit pro immortalitate impetrandâ positis in sui honorem statuis, oblivionis omnem averruncare metum, aut deficientibus paternæ hæreditatis liberis, ædificiorum architecturâ, aut pyramidum altitudine, aut obeliscorum picturâ vitæ gestorumque propagare memoriam. Meliora Tibi prostant apud posteros simulacra, augustiores statuæ, dum non tui saltem nominis & faciei speculum, sed omnes propemodum majorum effigies & nomina revixeré. Tu in Johanne Georgio II. Te ipsum: Augustum in Augusto: Christianum in Christiano & in Mauritio Mauritium vidisti. Ut nec opus sit Tibi Tago fluvio, qui ad ejuſdem nominis regem suam appellationem retulit, nec Atlante monte, aut Janiculo pro retinendo suorum heroum aut Conditorum nomine ita vocatis. Viva tua haec tenus perstittit imago, & majorum famam ipsa expressit veritas. Quamvis neque in cæteris Te ignorari sinant tot arces, munimenta, oppida, pontes, domus, & aliæ structuræ, quæ aut ruinis labefactatæ noviter quasi resurrexeré, aut magna sedulitate conservatæ sunt. Quas inter Dresdensē munimentum, & Königssteinensē fortalitium ad sidera propemodum surgens, intra cuius ambitum & serunt & colunt ad instar Babylonis, ut si externa vis ingruat, obfessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrentur, dubito, annon omnem mortalium vim & fraudem elidere possint. Ad miraculum autem hodienum conspicuntur, mirando non minùs, quām amplissimo stabulo superstructa palatia sive cameræ, quibus

compendio omne id quod omnium ætatum artifices commentisunt, & inimitandâ effinxere industriâ, sed sine numero, contuendum prostat. Longissimo primùm vestibulo Saxonum Regum & Ducum series ab Artario sive Hartevido, primo nempe Saxonum Rege deducta hoc ordine legitur. Primum sibi vendicat Artarius Gothorum domitor locum. Hunc Gensericus sive Ansericus excipit, qui Belgarum per volavit oras & durâ Gothfridum catenâ strinxit. Sequitur hunc Wilke sive Willicus, qui felicia Harminii vidit arma, atque tædere socias illi junxit manus. Post hunc Suardewick sive Suardicus legitur, qui ut patriæ libera forent jura, se simul atq; hostes fallaci igne perdidit. His se jungunt Suardewicus II. & III. dein Wilchindus, Wilkindus, Merbodus, Bode, Wicht, Witte, Wattgisel, Hengst/Hattwacker, Hatturgatte, Hildericus, Bodick, Bertholdus, Soghard, Diterich, Wernekind & Wittekindus ille Magnus, cum hoc disticho, cætera enim ut addam, tempus non patitur:

*Wittkindus multos exercuit arma per annos  
Franca sed hunc Christi denique vicit amor.*

Hic nempe vicesimus tertius ab Artario, sive Hardevido, primus Christianam religionem professus est, & posteversam ligneam columnam, Irminsul ab ipsis appellatam, religiose que, sed gentiliter habitam, susceptore Carolo Magno Augusto, salutaribus aquis ablutus subditis & posteritati imitandum exhibuit exemplum. Wittekindum sequitur hujus nominis secundus. Fridericus deinde, postea Ditgrem, & post hos Ditmarus, Diterich, Dido, Diterich, Timo, Conradinus, Otto dives, Diterich, Henricus illuminatus, Albrechtus Thuringiæ Landgravius, Fridericus lætus, Fridericus serius, Fridericus victoriosus, Fridericus bonus, Albertus magnanimus, Henricus, Mauritius, Augustus, Christianus I. Christianus II. & Tu denique horum omnium maxime JOHANNES GEORGI. Ad interiora dein palatia succedentibus, artis & naturæ admiranda occurunt. Ut nec sciam,

sciam, an in his ars naturam, an haec illis industria superarit, aut utraq; se invicem ad vivum expresserint? Constitueram ea omnia ad amissim enarrare, quæ his meis oculis visa & lassis manibus annotata sunt. Sed quis equorum generosissimorum imagines, quis præter hominum aliorum, Mauritii in primis & reliquorum deinde Electorum & Ducum Saxoniæ ad ipsum JOHANNEM GEORGIUM II. nunc Dei gratiâ Electorem viva quasi illis inhærentia simulacra, quis montium altissimorum abditissimas cryptas, quis inexhausti ingenii picturas, typographiarum, horologiorū, instrumentorum & organorum Musicorum, auri argentiq; nativa pretia? quis unionum & margaritarum numerū, speciem & magnitudines, quis divina humanaque exprimentes facta, tabulas & automata, quis horum omnium sive ex ligno sive aliâ pretiosiori materia factorum raritatem? quis Astrologica, Astronomica, Geographica, Geometrica, Mathematica omnia? quis metallica, Corallina, Cristallina, eburnea, vegetabilium denique animalium & mineralium portenta levi comprehendet chartâ? ut neque sileam stupendum armorum & apparatuū bellicorum exercitum, quibus, tam ab antiquitate, quam novitate in unam domum congestis, quicquid sive Roma ad Tybrim sive Hetruscus ad Arnum, sive ad Hadria Venetus tenet, vile cedit & exiguum est. Ut visis istis Serenissimus Princeps ac Dominus, Dn. Ludovicus Hassiae Landgravius, nepos ex Majore natu filia nihil quod diceret aliud inveniret, quam quod olim spectatâ Salomonis sapientiâ Austri regina:

*Multa quidem accepi de Te, Dominus! ast mihi fama  
Dimidium pretii non tulit ulla tui.*

Dicet hic forte non-temo & cōtractiori arguet vultu, communem plurimorum ducum sedulitatem me uni Tibi atq; soli adscribere. Quod ego quidem inficiari non auderem, nisi tanta in te fuisset autoritas, tanta industria, tantaque per quadraginta quinque annos, quibus Electoratu functus es, cura-

L

quā-

quanta neque in Antecessoribus conspecta, neque cum tua  
 comparari potuit. Tu inchoata vel immutasti, vel auxisti, vel  
 complevisti, ut in Terreliorum omnium summa facile  
 constiterit. Patere ô Dive & admirande Elector! quod in  
 hæc secreta solverim linguam meam, atque ne sic quidem  
 adhuc cessem, domus illius abs Te extructæ magnificentiam  
 commemorare, quæ voluptatis gratiâ, in Veris delicias, ad  
**Albim** supra munimentum extructa subterraneis ex mar-  
 more vario exsurgit palatiis, & quadraginta quatuor ex Ala-  
 bastro infra terram columnis sustentatur. Quantum hîc To-  
 pasiorum, Amethystorum, Carneolorum, adamantum, la-  
 spidum & aliorum, quæ non nisi parcè mortalibus natura  
 dividit, agmen! Unum saltem cæteris omissis dicam: Di-  
 gnam nempe Imperatoribus & Electoribus te erexisse ibi-  
 dem memoriam. Dum eminens quidem supra solum ædi-  
 ficium inferiori parte ad dextram Ferdinandum I. cælato ex  
 gypso auroque distincto artificio cum hâc subscriptione  
 monstrat: Plus ultra. Deinde Rudolphum II. cum emble-  
 mate: Aquila electa justa omnia vincit. Post Maximilianum  
 II. cum symbolo: Dominus providebit. Dehinc Matthiam  
 cum apophthegmate: Adjutorium domini sit inimicis ti-  
 mor. Et Ferdinandum denique II. cum hâc sententiâ: Amat  
 victoria curam. Ad sinistram verò Mauritium cum subiecto  
 phrenoschemate: Hisce artibus. Huic proximum Augustum  
 cum hoc hemisticho: Tandem bona causa triumphat. Dein  
 Christianum primum cum hoc proverbio: Fide sed cui vide.  
 Postea Christianum II. cum hoc invento: sub Deo & Dio  
 hac cresco sub umbrâ. Et Te denique Magne Elector unico  
 verbo: **I M M O B I L I S.** comitante omnium virtutum coronâ.  
 Tu videlicet æquam servasti immotus mentem rebus in ar-  
 duis non secus ac bonis. Tu justitiam expressisti, dum sua  
 cuique ministrasti. Tu patientiam exercuisti, cùm & dolor  
 & metus te fugere coacti sint. Tu fortitudinē repræsentasti,  
 qui subiectis parcere didicisti. Tu prudentiam ostendisti, cui  
 utpo-

ut pote consiliis verum inquirere semper in animo fuit. Tu abundantiam Tibi habuisti comitem, dum pauperibus nihil negasti, tantas in bella expensas fecisti, ultro obtulisti omnia. Tu temperantiam in consiliis, armis, auctibus omnibus sectatus es, atq; ne quid nimis fieret, providisti. Tu magnanimitate quâdam fortia & agere & pati potuisti. Tu fidem integratatemq; aluisti. Tu constantiam animi tui nec auro nec ferro labefactari passus es. Imò laborum tuorum mercedem pietatem tutissimam esse judicasti. Sed cur taceo munificentiam. Neque enim illam sub abundantia complecti posse arbitror, cùm abundantia quidem munificantiae mater sit, at sæpe sine filia sterilis comperiatur? Vidêre certè munificantiam tuam Viri religiosi, experti sunt eam Justitiæ Præsides, Consiliarii tui, senserunt servi & ministri omnes, in primis Academiæ, Wittenbergensis & Lipsiensis. Quod enim hæ hucusque florent, atque inter plures Germaniæ Academias caput extulere, tuis debent largitionibus. Ad æternam certè tui memoria gratitudinis loco Academiam Wittenbergensem anno 1646 ita tibi gratulatam accepi: Si natura rerum permitteret, ut fundamentis æternis quæ sita altissimè sunt, aut structa invictis operibus fixa penitus sedent, se commovere & agere possent, non nos spirantia ejus & animata membra tantum hîc consisteremus ante Te: sed exedræ omnes & acroateria hîc ultrò venirent, & de pulcherrimis maximisq; beneficiis tuis loquerentur: quin hortuli nostri, atque agelli & ipsi domestici lares, niduli nostri levarent se funditus, sequi proriperent in conspectum tuum, acturi gratias, quod ab hospitiis, à vectigalibus, à munere omni ac intributione militari immunes, indemnes, liberos præstiteris. Quod beneficium nisi tulissent à manu tuâ; jamdudum illi aut vasto squalore, aut solitudine in senticeta foedâsve uligines, aut situ ruinave in antra, in stabula, in rudus deformes, & nescio quos quisquiliarum sordidissimos aggeres abiissent. Nempe ideò liberius habere Professores tuos voluisti, ne quasi contempti ne-

glectique remittant studium & minùs perficiant, aut aliis accomodent rebus animum, unde emolumenti majoris fiducia emergit. Unde & factum, ut licet haud pauci variis in locis aliò & extra patriam, ubi nec bella nec calamitates ullæ urgerent, invitarentur luculentis conditionibus: pleriq; deferere stationes suas noluerint, obfirmatisque adversus fortunam meliorum spe, & tuæ clementiæ sumptâ fiduciâ, putarint satius ostentati commodi fructu excidere, quâm fortis ac generosi animi perdere laudem, si segniores scilicet in approbandâ tibi fide suâ viderentur, quâm indulgentiâ tuâ in exerendâ cumulandâque pietate nosceretur. Quæ verò insignis munificentia tua tanto splendidior extitit, quanto promptiorem opem, non in abundantiâ & rebus tranquillis, hoc enim non adeò arduum est, atque difficile, sed in ipsis bellorum flammis, cùm omnia prostrata dejectâ & calcata jacerent, attulisti. Ita ergò vixisti juvenis. Ita vigorem conceptâ ætate. Ita canos tuos redimisti capillos, ut mirari sàpe soleat animus, quo pacto in tantis laboribus, quibus ne Atlantis humeri par esse potuissent, te in columem alternâ destitutus re quie, præstiteris. Si mihi divinare licet, aut proprius veritatem assequi, otium in laboribus invenisti, maximumque aliis negotium, aut morbus tua fuit sanitas & recreatio. Venatio inquam, dignum Principibus exercitium, tantoque magis necessarium atque proficuum, quanto majus à feris excidium pertimescendum, easque amplior exposcit mensa. Dum ergo alia negotia tibi quietem indulseré, refectionem quæsiisti in densissimis sylvis, atque clausis undique saltibus noctivagæ & castissimæ Diana res egisti. Inter inhospita enim terrarum tesqua, & mœnibus cincta linteisque comprehensa nemora jam villosum sestatu es ursum, mox pavidosterruisti & contecisti cervos. Inde citatum trusoque per ilia ferro fulmineum aprum peremisti. Alibi ululantis vestigia lupi legisti. Sagacissimorum porrò canum tuorum odoratu & dolosæ vulpis ambitus, & lyncis abditissimos specus, & sollicitian fractuo-

fractuosoque leporis velocitatem aut sefellisti, aut explorâsti,  
 aut prævertisti, cassibus denique, manu, sclopeto, iœtu omnia  
 superâsti; ferro in primis & nobilium ferarum objectu maxi-  
 mam tibi reputâsti gloriam, si eas vinceres exemplo magni  
 Macedonis, qui in Bazariâ Scytharum regione, cùm agitari  
 undique feras jussisset, interque eas raræ magnitudinis Leo  
 ipsum regem invasurus occurseret, Lysimachum, Regem,  
 post ipsum, venabulum feræ objicientem repulit his verbis:  
 Tam à semetipso uno, quām à Lysimacho interfici Leonem  
 posse. Sic ergò valetudinem inconcussam ad seros sensisti  
 annos. Sic virium robur integrum conservasti, ut nec mino-  
 re ætate defuerit tibi vigor: neque in annorum granditate  
 juvenilis promptitudo. Et quod de Massanissâ Numidiæ Re-  
 ge, qui ad nonagesimum annum pervenit, scribitur: Eum  
 nullo unquam imbre, nullo frigore, ut caput suum veste tege-  
 ret, adduci potuisse: atque aliquot horis in eodem vestigio  
 perstare solitum non ante moto pede, quām consimili labore  
 juvenes fatigâsset; nihilque quæ adolescens sustinere assue-  
 verat, cùm illam senectutem ageret, omisisse. Idem de Te  
 Operosissime & validissime Elector jure meritoque affirmari  
 potest. Tu vigilantiâ ipsum sæpenumero prævertisti phœ-  
 bum, & nondum apparente auroræ cubili ad saltus multo-  
 ties profectus es, non obstante hyemis inclemensia, aut ni-  
 vium densis agminibus. Imò transactis feliciter venationi-  
 bus noctem ferme integrum durissimo sub gelu non semel  
 captivorum tuorum viscera scrutatus es & pondera, immo-  
 tis vestigiis, canâque Cæsarie aëri relicta. Gloriatur Curtius  
 de Alessandro, quod quatuor millibus ferarum dejectis in eo-  
 dem saltu cum toto exercitu epulatus sit. At quantus obsecro  
 tuarum venationum fructus, quæ epulæ? Fortè quod dixero  
 inter omnes historicos à mundo usque condito non reperi-  
 tur posteritati proditum: Verum tamen: ab anno 1611. unde-  
 cies centena millia ferarum, additis nongentis & sexaginta  
 in potestatem tuam venisse, atque à tanto depopulantum

numero, non aliter ac omnia vastanti exercitu villas, nemora, saltus, agros purgatos, imò tantâ benedictionis divinæ frequentiâ venationes tuas exultasse. Quæ quidem, si non arri- dent illis, quibus exosæ sunt tam copiosæ & operosæ venatio- nes, neque enim Jupiter omnibus placere potest, liceat mihi nomine tuo respondere illis, quod Augustus Tiberio ob ac- cusiones commoto: Nolo indignari, quenquam esse, qui de me malè loquatur. Satis est enim, si hoc habeo, ne quis mihi male facere possit. Interea verò votis pro tuâ salute & in- columitate nullibi parcitum. Magnum sibi reputabat divine clementiæ prodigium Saxonius orbis, cùm discriminis at- que periculi plenissimum aliis hominibus annum, tertium nempe & sexagesimum ex septies novem & novies septem conflatum, magnumque inde climaëtericum sive scalarem dictum, quòd duo numeri combinentur, quorum alter ad a- nimum, alter ad corpus pertinere olim putatus sit, sine ullo sanitatis errore atque virium decremento superässes, ut pro- pterea certaretur eo tempore ab Academiis, ab aulâ tuâ, à vi- ris albi celeberrimis in persolvendis pro vitâ tuâ Summo an- norum nostrorum Diribitori gratiis, supplicationibus, votis, gratulationibus. At nescio, an unquam felicius magisque gratulatum tibi, quàm cum finito ferme universæ vitæ tuæ curriculo ante biennium terra polusque in tuas venere par- tes, & hic quidem silentio, illa tutum præstanto ex venatio- nibus redditum favere Tibi visa sunt. Cùm enim oneratis uns di quaque cœli cataraëtis, soleque nubium copiosissimarum interventu terris erepto, flerent sidera, atque deciduo in ter- ras humore omnia submersum iri non aliter ac Deucalionis ævo metuerentur. Tuque ô Elector filialis venerationis offi- cium, maximum sanè senectutis tuæ solatum accepisses à Cattorum Principe, terrarumque nostrarum gloria, atque conjugi ipsius exoptatissima, filiâ tuâ, virtutum emulâ tua- rum, horumque liberis Principibus nepotibus tuis & nepti- bus, & qui hos sequuntur, eo ipso, quod invisum Te ex Hassiâ vene-

¶ si ¶

venerant extremis lachrymis hærentes spiritus inter oscula  
juncturi, in columnis non solum omne superasti cum his peri-  
culum, sed estus cum singulis ex viciis, pagis, villisque &  
oppidis parvulorum & majorum numerus has ad gaudium  
preces ingemissavit, ut vivores, ut valeres canâ conspersus  
prudentiâ Elector, adderetque de suis annis Tibi Numen plu-  
rimos annos. Vixque Dresdā imbribus ventis salo soloque  
impetus, intraisti, cum cœlum recuperare oculos & terra ex  
undis emergeſe protinus cœpit, ut proinde ex aulæ Darm-  
stadinæ proceribus nonnemo, pridem visis tot miraculis in  
hos Elegos solvere mentem haud fuerit veritus:

*O rara matque ingens, quod nunc Deus exhibet orbi  
Spectaculum! o magni gratia magna Dei!  
Unda furit, ventique fremunt, & inhorruit aether!  
Intumuit rapidis turbidus Albis aquis!  
Horrendo surgunt agitati turbine venti!  
Cum stabulis rapit ac devehit unda pecus!  
Vidimus & solito Phœbum splendore carentem!  
Vidimus in mediâ nubila tetra die!  
Quin homines etiam crudeli vortice mersos  
Vidimus! & tantis omnia mœsta malis!  
At postquam salvum Te, GLORIA NOSTRA, videmus  
Imperii Elector, Saxonieque jubar.  
Cujus ab Eois Honor & ter maxima Fama  
Tendit ad occidas, hesperiasq; plagas,  
Cui summum cordi Numen, præcordia cuius  
Servanda patriæ semper amore calent.  
Quem redamat populus, celsum quem tota veretur  
Imperii columen Teutonis ora sui,  
Consiliis patriam labentem & fortibus armis  
Qui servasti ardens; & bona pacis amas,  
Postquam cum NATIS, GENERO, atq; NEPOTIBUS intras  
DRESDAM, Vosq; omnis turba salutat ovans.*

Altera Saxonici postquam nunc, JANE GEORGI  
 Cum Fratre ingrederis, GLORIA, Luxque soli  
 Cùm Princeps Cattum, & columnen prelustre GEORGI  
 Cum natis, charâ prole, duobus ades,  
 Cùm tot Diis genitos, Heroica pectora, plausu,  
 Circumfusa cohors excipit ecce! suo,  
 Cùm Conjunx, cùm Nata, Nurus, tot denique neptes  
 Amplexus subeunt, lat a corona, tuos!  
 Ante pedes ludit cùm parva proneptis in aulâ  
 Et discit PRO AVUM voce vocare suum,  
 Maxima pertentant hinc mentes gaudia nostras  
 Gratatur placidis & pater ALBIS aquis!  
 Quis Tibi, at, ELECTOR, cernentitalia sensus?  
 Quæve animo surgunt jubila lat a tuo?  
 Sexaginta hac atque novem de stemmate RAMOS  
 Ordine per pulchro surgere nonne vides?  
 Nonne hac, aetherias qua vertice tendit in auras  
 Consita ad irriguas FERTILIS ARBOR aquas!  
 Sexaginta hac atque NOVEM stetit ARBOR in annos  
 Addet adhuc unum queis modo QUINTA dies;  
 Quinta dies addet Martis, quam fausta sequantur  
 NATALEM HEROIS plurima lustradiem.  
 Sydere NATALIS felici hac sape recurrat  
 Et veniat semper prosperiore pede!  
 Nonne ergò rarum atque ingens Deus exhibet orbi  
 Spectaculum? hac magnigratia nonne Dei?  
 Hac tua prosperitas, nomenq; decusque manebunt,  
 Historiae donec, tempora donec erunt?  
 Jamq; silent undæ ac venti, jam fulget & aether  
 Itque iterum, pulsâ sube, serena dies.  
 Felix ELECTOR! favet unda & ventus & aether  
 ECCE! Tibi! ipse Deus, quâm favet ECCE! Tibi!

Credo

Credo p̄fudisse tūm superiora lachrymas tui causā, eademq;  
 iterum Tui gratiā rediisse in ordinem. Uti enim abditissimæ  
 rerum causæ, nonnisi ex effectis s̄æpe dignoscuntur: ita dum  
 commune illud spiraculum vitæ, nebularum exortu & fre-  
 mitu paullò crassius evasit, monitum de vitæ tuæ periodo,  
 post biennium effluxurâ expedire se aliter haud potuit, quām  
 imbribus in funus eheu! tuum præmissis, quos tamen ideò  
 serenitas, Te in tutum recepto, subsecuta est, quòd non po-  
 tuerit non cœlum tam dulcissimis parentis, AVI, socii, ge-  
 neri filiorum filiarum, Nepotum & Neptium congaudere  
 congressibus & extremis favere osculis. Quod enim Jaco-  
 bus Patriarcha, ætate gravis, senioque confessus fieri jussit:  
 Congregamini filii Jacob: & audite Israël patrem vestrum?  
 idem Tibi evenire voluit tuæ pietatis REMUNERATOR &  
 SENII CONSOLATOR Deus. Confluxére ad Te liberi  
 tui, atque ultimam abs Te benedictionem impetrarunt, quo  
 tempore & tuum votum fuit præparatum gentibus videre  
 salutare Domini. Egregiè itaque personā tuā tanquam in  
 theatro acta, Dei que operibus, ad quæ à Naturâ destinatus  
 eras defunctus, viribus paulatim deficere, senectutis gravio-  
 ris incommoda sentire, & fatalem necessitatem ex hâc vitâ  
 evocantem experiri cæpisti. At, quo animo, quâ constan-  
 tiâ? Dicam insigni & Principe dignâ. Ut enim omnis in  
 Principe timor minuit dignitatis prærogativam: Ita quām  
 maximè tum animo præsenti esse, ubi extremum imminet  
 telum, hoc quidem est, quod hominem supra communem  
 mortalitatis metam extollit. Tuncque præteritæ felicitatis  
 reminiscentiâ, neque illius majestatis in quâ vitam transiisti  
 splendore, neque tot obsequentium ministerio adductus,  
 hujus vitæ prærogativam, futuræ meliorisque excellentiæ  
 præferre voluisti. Visâ religione salvâ, patriâ tutâ, posteritate  
 in honore amplitudine & numero, atque ex his omnibus  
 Deo, quod summum omnium rerum bonum est, Tibi pro-  
 pitio, stetit sententia, neque mortalibus ultrâ præsidiis, qua-

lia suppeditate Medicina solet, extendere terminum, neque  
obsequendi difficultate, remorari animam. Sumpto multo-  
ties sanctissimo animarum viatico, refectusque sanguine  
**JESU CHRISTI**, atque hujus sacrificio indemnis, omni-  
bus denique pro Conjuge, pro Electoratu, pro liberis, pro  
patriâ, dispositis, tandem dimitti Te Servum Dei petiisti  
cum Simeone in pace, quod Evangelii salutem, præparatam  
omnibus gentibus Medicinam, inclaruisse vidisses, & à tot  
impugnantium invasionibus in universum mundum liberas  
nunc explicantem vires securam præstis. Neque voto  
defuit successus. Emissus es ex infirmitatis carcere, & præ-  
sentibus, Serenissimâ conjuge Electrice, mille suspiriis &  
votis cœlum pro Te implente, aliisque tuo obsequio sacratis  
multumque ingemiscitibus spiritum reddidisti, qui initio  
inspiraverat, **DEO & SERVATORI TUO JESU CHRISTO**,  
atque eum attigisti scopum, quem phrenoschematis loco  
toto vitæ curriculo in signis militaribus, in carpentis, in li-  
bris, in pectore denique inscriptum ostenderas: **S C O P U S**  
**V I T Æ M E . C H R I S T U S**. Vitæ felicitatisque temporalis  
satur. **D E O** dilectus, Cœsari fidelis, patriæ charus, in omnes  
pius, clemens, munificus, humanus, ad utramque fortunam  
paratus denique & immobilis, annos natus septuaginta &  
unum, menses septem, dies duos, adjectis horis octodecim &  
dimidiâ, octavo idus Octobris anni millesimi sexcentesimi &  
sexagesimi sexti, eâ ipsâ die, quâ Augustus Avus tuus, post  
desperatam fere Saxonum stirpem & emarcidam propemo-  
dum **R U T A M**, novam Saxoniæ spem fecit, atque Torgavii  
ante nonaginta octo annos festivuni tori auspicatoris diem  
celebravit. Felix ætas, quæ ad seros annos provecta. Vene-  
rabilis senectus, quæ canâ circumdedit sapientiâ verticem.  
Memoratu digna, quæ plurimorum superavit fatæ. Tres il-  
lati, Te superstite, tumulo Imperatores Rudolphus II. Mat-  
thias, Ferdinandus II. unus saltem nondum nomine Cœsar  
Ferdinandus IV. Romanorum Rex. duodecim deinde Ele-  
ctores

ctores Principes fata te vivente experti sunt. Johannes Sueickhardus, Moguntinus : Georgius Fridericus & Anselmus Casimirus itidem Moguntini: Lotharius, & Philippus Christophorus Trevirenses : Ernestus & Ferdinandus Colonienses: Maximilianus Bavarus, & Fridericus V. Palatinus : Johannes denique Georgius, itemque Johan Sigismundus & Georgius Wilhelmus Brandenburgenses ; quorum obitu tanto majori affectu ingemuisti, quanto illustrior ex illorum amicitia & collegio nominis tui effulsa claritas : imo non aliter, quam cum Augustum Electorem Avum s. Idus Februarii anni 1586. Christianum porrò I. genitorem septimo Calendas Octobris anni 1591. & Tutorem Fridericum. Wilhelmum Nonis Julii 1602. eruptos doleres, aut conjugem primam Dominam Sibyllam Elisabetham 13. Calendas Februarii anno 1606. filiosque Dn. Christianum Albrechtum s. Idus Augusti 1602. Dn. Henricum, 18. Calend. Septembris 1622. Serenissimamque Matrem Dominam Sophiam 7. Idus Decembris, fratrem quoq; Serenissimum Dn. Christianum II. Electorem 9. Cal. Julii 1611. & Augustum itidem fratrem, Saxoniæ Ducem 7. Calendas Januarii anni 1616. Sorores porrò, reverendissimam & Serenissimam Dorotheam Abbatissam Quedlinburgensem 15. Calendas Decembris 1617. Et Sophiam Pomeraniæ Ducem s. Idus Decembris 1635, charissimos denique nepotes, neptesque, & si quæ maturius erupta fuere horum pignora, planctu & lachrymis secutus es. At tuo ex funere quæ non lachrymæ? Dolere per quinquaginta minus uno annos conjunx Serenissima Domina Magdalena Sibylla, altera animæ tuæ pars, & cum hac filii & filiae, & cum patria Proceres, Senatores, subditi omnia luctu complere cæperunt, illa unicum senectutis suæ solatium, spem unicam, decus perpetuum, conjugem charissimum, Principem selectissimum, individuum tori comitem: hi Patrem suum & Patriæ, columen Ecclesiæ, afflictorum asylum, sidus Republicæ, justitiæ, veritatis, pietatis, cæterumq; virtutum

N 2 " omni-

erupti

omnium patronum, Principem Optimum Maximum conqueruntur & lamentantur. Et quantum quidem exteri, quoque hoc in casu ingemiscant, vel hodiernus hic dies P. C. testatur, quo cum Serenissimo Principe ac Domino, Domino GEORGIO, Hassiæ Landgravio, Principe ac Domino nostro clementissimo, universa pullum sumvit habitum Hassia, atque has tanto Principi instituit inferias, cujus virtutes & merita, cujus laudes & facta, cujus felicitatem & constantiam, nulla unquam, donec orbis stabit, obliterabit ætas, ut potius pennis sublimibus elevata ad stellantis Olympi cameratas domos memoria ipsius æternos habitura sit præcones. Sed ad Te jam convertor! Conjunctæ mœstissima!

*Quæ per tot menses à funere Conjugis uxor  
Conspicis in viduâ tristia signa domo.*

quousque pias effundes lachrymas? quousque afflictam fatigabis animam? Succedere hodie ex atratâ aulâ, ex funebri pompâ, tot stipatam planetibus, tot desideratam gemitibus, in splendidum quidem sed tristissimum eheu! Friburgense Mausolæum alteram animæ tuæ partem, quamvis est auditu funestum, visu lethum ipsum, quis enim in tanti Principis casu sibi constare poterit? Communis tamen fati via, inexorabilisque necessitas, quam à primis auspicatissimi tori horis ignorare non potuisti, dolorem paulum minuet tuum, hoc in primis, quod non amiseris, sed præmiseris conjugem & ex mortali ad immortalem, ex caducâ ad æternam ille emigrarit domum, redieritque in eam, unde primùm egressus est, patriam, & ad quam nobis quoque omnibus, vocante Deo, exeundum. Ille inter cœlestium agminum centurias, inter triumphantium piorum choros, inter strenuè militantium cohortes, inter fidei defensorum cætus, inter Veritatis Professorum myriades vivit nunquam moriturus; & cum corpore ad extremam Archangeli tubam revicturus neque redditum jam optat in hujus vitæ carceres, neque permutari æternam cum periturâ felicitatem. Ille infinitum & Trinum-

num

num Deum corām adorat. Ille Patrem Creatorem, Filium, Redemptorem, Spiritum sanctum Vivificatorem beatissimis videt luminibus, capite gestans coronam gloriæ, perpetuitatis, & partæ per Christum justitiae & victoriæ, ut jam nec dolor, nec labōr, nec senectus, nec quicquam, quod sive præsenti sive futuro incommodabit seculo, lætissimam continuaque jubilæa concelebrantem affligere possit animam. O ergo felicem Te ter & quater! Beatissime Princeps Elector! At ô nos infelices, quos tristi reliquisti sub orbe! Visa sunt sub obitum tuum tristari elementa, & Misericordia cœlum ignitis noctu inhorruit Virgis, nisi fallor, ut amissum tanto arctius contemplemur bonum, atque ex tanti Principis occasi subsequentium discam justorum temporum metiri discrimina. Sed salva res est. Pone paululum exhausta mœroribus Patria Iessum! Quiescite tandem flebiles Principum matrumque lachrymæ & querelæ! Surrexit in JOHANN-GEORGIO II. maximi parentis majestas, & in Electore novo novū Imperio affulsit sidus, ut neque conjux turtur gemens & mœstissima orbitatem pati, neq; Patria amissum amplius conqueri Principem, neque Imperium Electoralis ensis portitorem, aut Religio defensorem, justitiaque & sapientia acerrimum sui sectatorem desiderare possint. Tu ergo Salve Elector nōve! & felici ab ipsius JEHOVÆ dextrâ auspicio suscipe regnum, cui natus es! Aderit Numen propitiū, atque ubi humilitatem Deo, hominibusque charam sectatus virtutem fueris, pietatemque in Patriam, in Penates, Ecclesiam, avitamque Religionem paterno exerueris zelo, regnum securum, dominus tutus, liberi probi, conjux dilecta, vita longæva, divina humanaq; in tui assurgentamplitudinem & tutelam omnia.

Interea Te, ô Suprema cœli terræq;  
potestas, & penes quam vitæ

O

necisque

necisque arbitrium est nostræ,  
 STATOR, SATORQUE RERUM,  
 cui in Trinitate Unitas, & in  
 Unitate Trinitas gloria tua est,  
 PATER, FILI & SPIRITUS SANCTE!  
 devotissimis veneror, oro, obte-  
 storque gemitibus, ut Serenissi-  
 mum Electorem Successorem,  
 cœlestibus & tanto Heroë di-  
 gnis instruere dotibus velis, ut  
 Ecclesia tanti Principis obitu  
 maximis agitata mœrorib. Pro-  
 tectorem, Coniunx Serenissima  
 Vidua solatum senectutis, Pa-  
 tria Patrem, subditi clementissi-  
 mum Dominum, Hostes ter-

rorem,

rorem, Saxonia universa felicissimum Rectorem, & affines cæteri, fraternitateq; iuncti Principatus amicum, Imperium denique fortissimum columen experiatur, sub cuius nutu omnia tranquilla, pacata, quieta, auspiciata, felicia & victoriosa sint: atq; non priùs Saxonice propaginis felicitas inter posteros pereat, quām ultimam totum hoc, quod mundum appellamus, ruinam patiatur

D I X I.

*Errata quadam typographica in Orationem autore absente, irrepsere,  
quorum potissima ita benevolus corrigat lector.*

p.2.l.7. à fine, lege nunc. p.17.l.1.tui. l.5. à fine, incessanter. p.25.l.11. quādam. p.26.l.15. labefactare.  
tuz. p.29.l.7. prælii. p.34.l.10. Fabio. p.44.l.16. Wernekind. p.49.l.8. à fine, cæfarie. p.50 l.3. à fine æmula.  
p.51.l.1. post hæc tates delæcatur comma. p.53.l.8. à fine, Tu neque. p.55. l.ultimā, cæterarumque. p.56.l.12.  
convertor. NB. in suprà marginalinumero paginâ 21. error commissus est à hypothetâ, positusque pro 21.  
numerus 25. & sic continuatus est numerorum ordo, de quo monendum lectorem duxi ne defectum inde  
colligas.

D I X I A









H. Lax. C 73

